This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

St 1.763

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 Stephen Salisbury, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

DE TACITI,

AD ENARRANDUM

TIBERII CÆSARIS PRINCIPATUM,

PARUM HISTORICIS ARTIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

JULIEN DUCHESNE

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

IN LYCEO NANCEIANO PROFESSOR

Chevalier de la Légion d'honneur, officier de l'Instruction publique,
Membre de l'Académie de Stanislas.

PARISIIS

APUD E. THORIN, EDITOREM

7, VIA DICTA *DE MEDICIS*

—

M DCCC LXX

DE TACITI,

TIBERII PRINCIPATUM ENARRANTIS,

ARTIBUS

Nanceii, ex typis Sordoillet et fils, via dicta Faubourg Stanislas, 3

DE TACITI,

AD ENARRANDUM

TIBERII CÆSARIS PRINCIPATUM,

PARUM HISTORICIS ARTIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

JULIEN DUCHESNE

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

IN LYCEO NANCEIANO PROFESSOR

Chevalier de la Légion d'honneur, officier de l'Instruction publique,
Membre de l'Académie de Stanislas.

PARISIIS

APUD E. THORIN, EDITOREM

7, VIA DICTA *DE MEDICIS*

M DCCC LXX

Lt 1.763

Salisbury Fund

OPTIMO ET DOCTISSIMO

VIRO,

P. GUERRIER DE DUMAST,

ACERRIMO
RERUM VETERUM SALVATORI AC VINDICI,
NOVARUM INITIATORI.

Id opus, jampridem gratus, dedicat

J. D.

DE TACITO CIRCA TIBERIUM

I.

QUALI TEMPORE, QUO ANIMO TACITUS AD SCRIBENDAS TIBERII RES ACCESSERIT.

Quum, Trajano videlicet adhuc imperitante, Tacitus, perfectis jam cæteris operibus [1], ad *Annales* componendos ingenium convertit, extrema de Augusto, mox Tiberii, Caii, Claudii Neronisque res traditurus, longe diversa ab illis primorum Cæsarum temporibus ætas populo Romano agebatur : nulli enim unquam Principi æque ac Trajano contigerat omnia invenire aptissime ad securitatem libertatemque, imo ad gloriam publicam, composita : nullus quidem oblata temporum felicitate tam solerter ac magnifice usus est. Peracto nempe, post tot mutuarum insidiarum annos, Principum certamine patricias in gentes quas veteris Reipublicæ pie memores, novarum rerum odium transversas indesinenter compulerat, Urbem Italiamque municipalis impleverat Nobilitas quæ Principem municipalem, ut suum, foveret : hic

[1] Ann. XI. Hist., I, 2.

exercitibus per victorias, Senatui ob amorem militum, Populo per facilitatem imperii, cunctis denique tam diuturnarum contentionum odio renascentisque securitatis dulcedine commendatus, naturam sequi suam potuerat, Principatum omnibus acceptum libertatemque jam non contumacem miscendo : igitur arma, quibus Cæsarum hostes olim territi oppressique fuerant, delatores scilicet Lexque Majestatis, infracta [1]; rebus domi compositis, redintegrata in Romanorum animis laudis bellicæ gaudia, ferme negata tot Principibus quos interna pericula magis in arcto imperare coegerant [2]; imo instaurati Reipublicæ jam non pertimescendi usus ac mores [3]; ipse Trajanus, consulatus petitor, suis interesse comitiis, rostra conscendere, jurejurando se obstringere; ad Curiam sine apparatu, nemine submoto, progredi; senatores ad libertatem ultro exhortari, civium denique omnium insectationi defunctos Principes permittere, ob temporum discrepantiam sui securus. Quali gratiarum concentu populus talia salutaverit, quam destricta rabie in eorum manes quorum sævitiam erat perpessus, desævierit, testis illa Plinii consulis oratio per biduum, nec sine summo Urbis et Italiæ assensu, spretis insuper fædissimis imbribus, constanter audita et comprobata vehementer [4]; cuncta scilicet Trajani acta,

[1] Panegyr. Trajani, 34 et 35.
[2] *Ibid.* 11, 12, 13.
[3] Panegyr. Trajani, 61, 62, 63.
[4] Plinii Epist. III, 13.

imo verba, gestus etiam et incessus laudibus extollebantur : quod pedibus iret, quod civium amplexus ad pedes non deprimeret, quod oscula non manu redderet, sed in planum devexus, quod cives non pro servis haberet, sed pro hominibus, adeo lætabatur gens libertati minime assuefacta, ut mirantium alacritatem ne ipse quidem dominus moderari valeret [1]. Rursus in Cæsarum acta, nullo habito discrimine, in mores, in statuas vindictam exercebant [2]; tunc Suetonius *Duodecim* illas *Vitas* componebat, nihil non enarrato ex iis quæ in Cæsares, per invidiam aut ridiculum, solebant jactari.

Assentationum quidem illarum libidine Tacitus haudquaquam contaminatus se reddita libertate longe digniorem veriusque fruentem præbuit; laudum eo parcior quo effusius a cæteris cumulabantur, beatissimi sæculi ortum eloquentissimis ominationibus prosequi [3], prolatosque a Trajano Imperii fines, data per Annales occasione, gratulari contentus est [4] : sed communi æqualium suorum in priores Principes ira non corripi, nec malignitati indulgere cui semper aliquam erecti animi speciem inesse ipse dixit [5], longe difficilius habebat; quippe cujus in ingenio vitaque plurima fato quodam composita dixeris ut Cæsarum hostes ac victimas pia veneratione, Cæsares autem ipsos odio tantum et contemptu dignos judicaret.

[1] Panegyr., 24.
[2] *Ibid.*, 34.
[3] Agricolæ Vita, 3.
[4] Ann. II, 61.
[5] Hist. I.

Seu nempe Corneliorum domo ortus sit, quæ jam Syllas Scipionesque protulerat, seu equite illo Principis apud Belgas procuratore, quem Plinius major memorat [1], animo certe sublimi ac feroci natus erat. Qua dehinc ratione sit excultus, incertum : ea vero reputans quibus junior adhuc, sed spei jam egregiæ, in pulcherrimo *de Oratoribus Dialogo*, disciplinam antiquam laudavit, qua, patricias apud domos, studia lususque puerorum sanctitate quadam temperabantur, ac liberi informabantur insignes [2], eum quoque in gremio ac sinu castæ matris, invigilante aliqua majore natu propinqua, secundum priscam severitatem educatum crediderim. Utcumque se res habuit, imbutus certe historiis institutisque prioris ævi fuerat, quum ea crescentem illum excepere tempora quæ suum ipsi sæculum pessime commendarent : exactis nempe annis per quos in Optimatium insidias Principes quam acerrime bellaverant, ita sæviebat in afflictos Cæsarum ultimus, ut minus novum rerum statum adversus irrequietos hostes defendere quam insitam quamdam feritatem exsatiare videretur. Ecquid igitur Tacito, per totam pueritiam, circumspectare, ecquid audire accidit, præter assiduas delationes et calumnias, rapinas, cædes clarorum civium ad alendos portentosos Neronis, in ganeam ludosque sumptus, tamdiu continuatas ? Proinde Cæsares, ut avaros tantum perfidosque carnifices, exse-

[1] Hist. nat. VII, 17. [2] Dial., 28.

crari, Patricios autem, tanquam innoxias et improvidas victimas, miserari a tenero consueverat. Mox bellis civilibus concussam sensit Italiam ; cruentatam Urbem, proculcatos a militum equis Patres, incensam Jovis Optimi Maximi arcem conspexit, eaque alicujus semper in Principis nomine patrata : quum rursus antiqui Senatus sapientiam ac majestatem ab historicis laudatas et omnibus in scolis decantatas reminisceretur, nonne gliscere apud eum debuit fastidium ejus temporis, quod quidem a Superis damnatum ipse contendit[1] ! Scilicet veteres illas Tribunorum Consulumque dissensiones, jurgia illa prælaque in Foro, quibus tantummodo apud T. Livium interfuerat, ut longinqua, et circumfulgente laude tum armorum, tum eloquentiæ, obvelata, multo minus horrebat : nempe talia sibi depingenda non contigisse dolentem in *Annalibus* ipsis audimus[2].

Adolescens demum stabilitam a nepote centurionis Pompeiani, Vespasiano scilicet, pacem publicam vidit ; Capitolium ipsa ejusdem manu, cum Nobilium ordinatis ab Urbe condita Fastis, restitutum[3]; civiliter habitos Patricios, quorum imminuto ac pene deleto numero, conjurationes odiaque multo minus metuebantur. Tunc et illos audivit de præteritis vexationibus conquerentes : eas autem querelas securi jam de æqualitate cæteri cives

[1] Hist. I, 3.
[2] Ann. IV, 32.
[3] Suetonii *Vespasianus*, VIII.

et Nobiles novi, per speciem ingenuitatis, pronis auribus excipiebant : Cæsarum denique sævitiam hi præsertim Domini damnabant, quibus peracti certaminis fructus percipere tandem concessum erat.

Simul inchoata juveni Tacito moxque aucta dignitas propriam fortunam quasi fortunæ libertatis quam arctissimis vinculis connexam ostenderat : nempe Vigintivir et Quæstor a Vespasiano, Ædilis dein aut Tribunus a Tito creatus, mox Prætor et Quindecemvir, seculares ludos edente Domitiano, reperitur[1] ; in quo dignitatis gradu diutius retentus, Nerva demum principatum capessente, consul renuntiatus est ; ita ut pari eodemque tenore Roma ad libertatem, Tacitus ad honorem summum conscendisse videantur.

Equidem hic illis occurendum sentio, qui C. Cornelium protinus mirentur, novo rerum statui adeo infensum, tam præclara munia, tot titulos a Cæsarum successoribus accepisse. Nimirum desiderio « prisci et integri moris[2] », ut ipse ait, ardebat, sed præsentem tolerabat, ut necessarium : ita, sapienter temperans, æquabili apud Principes auctoritate viguit, haud absimilis Lepidi illius quem nobis ostendit ipse, imperitante Tiberio, inter abruptam contumaciam et deforme rursus obsequium, iter secure pergentem[3].

[1] Hist. I, 1 ; Ann. XI, 11.
[2] Ann. I, 4.
[3] Ann. IV, 20.

Nec vero publica tantum privataque prosperitas, sed mox proprii luctus potuerunt Taciti fastidium in sæculi sui ignaviam accendere : vix enim Vespasiani Titique liberali animo recreatus erat, quum, Urbi incumbente calvo Nerone[1], interceptoque socero suo, peritissimo duce et optimo viro, Agricola, Tacitus experiendo doctus est quænam, per superiora tempora, cives jam annis maturi perpetiendum habuissent.

Nonne sic natus educatusque, et per tales rerum mutationes vir traductus, veterum Nobilium spiritus in se refovere prope necessario debuit ? Minime igitur mirandum plurima in illius operibus reperiri quæ multam erga Patricios sollicitudinem, multum in Plebis propugnatores odium declarent. Ubique Tacitus illustres gentes, quarum a majoribus constitutam Imperii vim ac dignitatem legerat, vexatas miseratur aut indignatur, mœret exstinctas, denubentes in modicorum Equitum domos gravatur. Et avitæ religionis ritus, cærimonias, fabulas etiam ac superstitiones pro quodam cultu prosequitur : his enim fundamentis stetisse rem Romanam acceperat ; quæ in dies labefactari intelligens, nihil in futurum nisi Imperii ruinam et morum perditionem audebat augurari. Armorum quoque laudem, splendidum olim patriciæ auctoritatis instrumentum ac propugnaculum, in primis extollere solet[2] ; cæterum provincias pa-

[1] Juvenalis *Sat.* IV.

[2] Ann. IV, 32.

rum curat, homines novos, e municipiis ortos, non sine quodam contemptu sæpius memorat[1]; plebem denique illam, cujus tutelam a se susceptam prædicabant Julii Cæsaris successores, tanquam imperitam vitiosamque colluviem, adspernatur. Quicumque pro plebe, Italis, provinciis, contra Optimates steterunt, ut Gracchi, Marius, Cæsar ipse, eos veluti perniciosos cives turbidarumque rogationum auctores insectatur[2].

Quibus institutis imbutus scriptor num poterat res Cæsarum ex vero memorare aut saltem intueri, Tiberii maxime, qui tot illustres domos cædibus polluerat? Eas quidem Nobilium vires, eas insidias invenerat hæres Augusti ut, quæcumque imperanti per quietem Trajano veneranda tuendaque videri potuerunt, Tiberio formidolosa et comprimenda essent : sed illius temporum discrepantiæ rationem servare quanto facilius cuilibet hodie viventi quam historico, licet summo, tunc scribenti! Principis præterea mores incomptos, obscurum animum, adjutam fraudibus sævitiam, totam denique Tiberii indolem nonne historicus noster, ut liberalis comisque dominationis amator, cum multo contemptu ac diffidentia, horrere ac respuere, vel invitus, debuit?

Pulcherrima denique, sed eo magis metuenda, suberat causa cur multo *perfectiorem*, ut ita dicam, Tiberii perversitatem sibi ultro Tacitus fingeret. Manifestus est

[1] Ann. III, 48; IV, 3. [2] Ann. III, 27.

enim *Annales* tanquam civile quoddam munus suscepisse, quo non modo virtutibus gloriam, vitiis ac præcipue adulationi infamiam adderet[1], sed etiam Romanos, domestica per exempla, callidiores temporum efficeret, docendo insitam novæ adhuc Principum potentiæ gliscendi cupidinem, talesque erga dominos cauta quadam severitate potius quam insanis assentationibus utendum esse[2]. Num de libertate nuper reddita valde securus esse poterat, quum Plinium, amicum suum, audiret ad infimas obsequii et admirationis obtestationes coram Trajano procumbentem, ac pollicentem fore ut Romani libere agerent, non ex jure naturæ, sed e præsidis jussu[3]? Nempe reputabat Tacitus præsidum plerosque illo in fastigio serius ocyus jam insanisse; proinde non expedire ullius, vel optimi facillimique, dominationem ultro provocari, nec unquam decere commune ac sacrosanctum humanæ libertatis patrimonium unius arbitrio permitti, cui omnia in omnes licerent. Quid enim eventurum, si quidam exstitisset, tyrannidis avidus, dissimulandi peritus, qui, primum cuncta salutis publicæ imagine tegens, paulatim insurgeret ac denique pro inconsulta ista fiducia infensum redderet servitium? At recognoscenti Cæsarum invisam seriem Tiberius, qui per imperium, aliquantisper facile, sensim ad præruptam et urgentem

[1] Ann. III, 65.
[2] Ann. IV, 33.
[3] Paneg. 66.

dominationem erepserat, absolutissimum illius peritiæ populis semper cavendæ exemplar apparuit: cujus porro reconditos sensus expromere, perplexas artes explicare, clausum animum quodammodo perrumpere, illustrare summa ope connisus est, sperans fore ut nullum deinceps tyrannidi superesset iter qua inexploratum insinuans posteros falleret.

Piam equidem illam patriâ de libertate providentiam satis probare, satis venerari nequeo : quum enim posset optimus ille civis, peractis jam quatuordecim *Historiarum* libris, Nervæ principatum Trajanique imperium exsequi, « uberiorem securioremque materiam [1] », tunc et a poetis concelebratam [2], mœstas Urbis res tristemque et in angusto laborem prætulit, prodesse magis cupiens quam delectari [3]. Hinc tamen periculum oriebatur, ne scilicet dolos quam plurimos apud suum tyrannum cupidus detegendi notandique, nimis multa certoperfidiæ et immanitatis consilio adscriberet.

Igitur Tacitus, ob vitæ tempus, ob pueritiæ, adolescentiæ ac juventæ vices, ob instituta, ob mores, denique ob ipsam asserendæ in posterum libertatis curam, veluti præceps in Cæsarum ac potissimum Tiberii obtrectationem agebatur ; porro hunc impetum licet ad æquitatis normam redigere sit conatus, non satis repressisse jam demonstrabitur.

[1] Hist. I, 1.
[2] Plinii j. Ep. VIII, 4.
[3] Ann. IV, 33.

II.

AUCTA IN MIRACULUM A TACITO TIBERII ROMANORUMQUE NEQUITIA.

Tiberio nempe ingenium judicavit natura statim comparatum quale sub finem erupit, eumque consulta per pessima quæque, bonis ultro relictis, devolutum. Ipsum in Principem plus æquo invidiam congessit sævitiarum ac proditionum quibus ea infecta sunt tempora. Illarum veras causas aut reticuit, aut attenuavit. Denique, dum peritissimis quidem narrandi componendique artibus odium in sævientes, misericordiam in victimas concitare gestit, illorum perversitati harumque innocentiæ non pauca supra veritatem contulit.

Quæ *Annalium* narrationi subesse vitia quo clarius appareat, quum ipsam perlegentibus rerum diversitas intentionis aciem soleat abrumpere, breviore quasi tabella amplam illam imaginem complectar ; ita demum de universa recte judicabitur.

Hominem finge tibi præpotentem mente et callidum, bonarum artium et gloriæ voluptates primo expertum, sed sævitiæ fædissimarumque deliciarum avidum et explendi aliquando atrocis hujus ingenii certum ; mox per

cædes, per sanguinem, per libidines ac sordes sensim et composito delapsum, donec propositum nequitiæ ac dedecoris finem contigerit; usque tamen sui compotem, nec in ima quidem illa fæce quam maluit ac destinavit, mentis viribus et animi robore omnino destitutum; tunc paulum intelligere cœperis qualis in sex illis primis Annalium libris appareat Tiberius.

Qui scilicet, principatum per uxorium Liviæ matris ambitum et senili adoptione assecutus[1], ut populum pessime de tali rectore ominantem[2] sibi conciliet, liberalem aliquantisper animum ostentat, sed eum paulatim, gliscente potentia, exuit: primum quidem legem majestatis irrepere sinit, qua mox desæviat[3]; Libonem Drusum, improvidum et facilem inanibus juvenem, quasi res novas moliretur, subvertit[4]; dein invisum ob gloriam populoque gratiorem Germanicum in Orientem, per speciem res illic motas componendi, amovet, atroci Pisonis odio objiciens[5]; ergo Germanicus, ratus se a Pisone venenum accepisse, metumque ex Tiberio ostendens, miserrime exstinguitur[6]: gaudet vero patruus, dumque ad excipiendam cum defuncti cineribus Agrippinam ruunt omnes, ipse publico caret[7], in civium dolorem per edictum erumpit, honoresque in filium suum

[1] Ann. I, 7.
[2] 4.
[3] 72, 73.
[4] II, 27.
[5] Ann. II, 43.
[6] 69, 72.
[7] III, 5.

moderatur. At Pisonem, arroganti securitate ovantem, ut certo jampridem Principis auxilio, ad Senatum remittit, mire inter Cæsaris ultores et rei defensores temperans [1]; sed, crastino diluculo, Piso exanimis reperitur : memorabant autem seniores visa sæpius inter manus ejus mandata quædam Tiberii contra Germanicum, quæ protulisset, ni elusus esset ac dein interfectus [2].

Paulum adhuc retenta æquitatis specie, nono demum principatus anno, repente immutatur Tiberius, scilicet e Sejani sui arbitrio [3] : decepto enim seni subdolus hic cæterorum criminator ostendit Primores ab Agrippinæ partibus stantes collatisque velut signis imperatorium fastigium obsidentes [4] : mox, quo liberior apud territum senem pateat talibus insimulationibus aditus, eum procul ab Urbe ad Capreas allicit, ibique turpissimis voluptatibus resolutum in Germanici amicos ac filios irritat [5]. Immissi jam delatores ; tractus in carcerem, inter festa incipientis anni, eques Sabinus [6] : pavori civitas ex adulatione remedium quærit : crescente per ipsam dominorum absentiam metu, vota Clementiæ, vota Amicitiæ altaria, Tiberiique ac Sejani, sui adspectum arroganter concedentium, ante pedes, abjectissimum exponitur populi romani servitium [7]. Defuncta matre, acriorem sævitiam

[1] Ann. III, 12.
[2] 16.
[3] IV, 7.
[4] 12, 17.
[5] Ann. IV, 41.
[6] 68.
[7] 74.

exserit Princeps, propria pericula prætendens[1] : Sejano etiam excusso, crebrescunt cædes ; damnata mater quædam quod suum filium flevisset[2] ; acervatim mactati qui, objecta cum Sejano societate, carcere attinebantur, corporibusque putrefactis opertæ Urbis viæ, plenus Tiberis, nulla de causa nisi quod Domini feritatem priora supplicia irritaverant[3]. Huc denique confidentiæ venit Cæsar ut paventi Senatui, sed eo pervicacius adulanti, nepotem ipse suum ostendat, in ima Palatii parte, fame ac centurionis verberibus fessum et exspirantem[4], utque glorietur quod exstinctam Agrippinam non in Gemonias strangulatam abjecerit. Solutæ atroci tyranno gratiæ ; tolerata ad finem, imo laudata a civibus, crudelitas[5].

Marcet interea libidinosas per vigilias senex[6] ; durat tamen mentis calliditas, animi durat rigor[7] : emensus tandem scelerum ac probrorum seriem a primordio sibi destinatam, postquam, remotis paulatim pudore ac metu, abjectisque virtutum quas olim præ se tulerat imitamentis, Tiberius, natura quam a principio habebat, et pessima quidem, uti aliquando potuit, vitam aut potius longum illud vitiorum ac infamiæ curriculum finit[8].

Horrendam illam Tiberiani principatus imaginem con-

[1] Ann. V,3.
[2] VI, 10.
[3] 19.
[4] 24.
[5] Ann. VI, 26.
[6] 1.
[7] 50.
[8] 51.

templatus, minime profecto de pictoris peritia dubites: tam mira sagacitate sensus maxime abditos et arcana pessime cujusque consilia indagare solet; tam acri, licet eam cohibeat, imo quia cohibet, vehementia virtutes extollit ac præcipue vitia insectatur; tam vivido denique splendore cuncta collustrat. Sed adeo mœstam ac lugubrem narrationem evolventi plurima occurrunt cur eam magis cum eloquentissima in Tiberium malevolentia quam cum exacta rerum fide compositam judices.

Primum autem de illis agemus quæ, naturæ humanæ parum convenientia, sensus ipse communis prompte, ut manifesto exaggerata, refutaverit: Tiberii nequitiam dico Romanorumque ignaviam.

Tiberium nempe non sensim per libidines aliasve causas, a Tacito neglectas, in pejus mutatum fuisse, sed statim a principio comparatum exstitisse qualem se sub vitæ finem ostendit; nec minus perditum animo quum Imperium recusaret quam quum, Capræis tabescens, Urbem sanguine compleret; eum modestiam et æquitatem, clementiam imo et beneficentiam perfida tantum simulatione induisse, quas haud invitus exueret; sævitiam exercuisse non propter ingruentia quædam pericula, sed certo pridem consilio; denique per tres et viginti annos ingenium suum non pessumdedisse, sed revelasse, nec id quidem ut factum sui impotentem, sed insitæ nequitiæ progressus ultro propellentem, nunquam equi-

dem credere sustineam. Vincit tale portentum mentis meæ captum; *homo sum, neque inhumani quidquam mihi non alienum puto* : inhumana autem atque, si Deo placet! plus quam humana talis perversitas.

Cui parem quærens, cujuslibet populi temporisve *Annales* frustra excutias; ipsos poetas, vel ad excogitanda immanitatis exemplaria maxime insignes, nequidquam pervolveris : Taciti nempe Tiberium non æquaverint aut Œschylea Clytemnestra, aut Cornelii nostri Cleopatra, aut Racinii Athalia, aut summi apud Anglos in genere tragico inventoris Riccardus-tertius, aut ipse Miltonis Satanas; ne apud nostrates quidem, tam variis exquisitissimorum scelerum formis luxuriantes, ullum istius modi monstrum apparebit. Scelestos enim omnes, vel fictos, semper in vitia demersit certa quædam libido, amor scilicet aut odium, aut ambitio, aut superbia : sed immanis ille *Annalium* Cæsar deterrima quæque, fatali quodam et quieto naturæ impulsu, appetisse videtur, imo ingenita et necessitate quadam adaucta, in lucem protulisse.

Nec cæteris modo, sed et sibi comparatus veritatis modum excessisse arguitur : quippe in quo plurima reperias quæ cum solida illa voluntariaque perversitate minime consentiant : idem scilicet iste tyrannus, qui certa via ad infensissimam dominationem pergat, tamen ex alieno arbitrio, ipsis in *Annalibus*, pendet : tenacem illum propositi Vulsiniensis Eques nunc intra civilitatis

fines continet, nunc per scelera præcipitem agit. Res adeo disjunctas Tacitus quum verisimiles reddere conatus sit, nullo tamen artis vel sagacissimæ vinculo connectere potuit : scilicet sensit historicus ipse Tiberium suum male sibi constare, ob hanc præsertim Sejani auctoritatem quæ negari non potuerat aut reticeri ; cujus quum causa utique reddenda esset, confugit Tacitus ad *Fatum*[1], cui nimis multa et alias referre solet. Sed istius *Dei ex machina* interventum multo minus etiam in historiis quam in scena excusaveris. Eam porro reddendæ rationis formam, inanem prorsus et tam eximio scriptore indignam, confessioni similem dixerim auctoris desperantis res a se in miraculum corruptas posse cum veris conciliari.

Jam de tyranno ad victimas transeamus : quemadmodum illius immanitas, sic harum patientia omnimo incredibilis : eum dominum Romani gratuito ac sponte cervicibus suis superimponunt, et insultantem retinent : illi per mutuas cædes sponte gratificantur ; cives clarissimi, stultissima quadam servitutis cupidine correpti, delationibus suam ultro nobilitatem dedecorant ; improvidos plerumque et nihil serium (si quidem *Annalibus* credideris) in principem meditatos subvertunt ; opplen-

[1] « Tiberium Sejanus devinxit adeo ut obscurum adversum alios sibi uni incautum intectum que efficeret; non tam solertia.... quam Deum ira in rem Romanorum. » (Ann. IV, 1.)

tur cadaveribus Urbis viæ ; abripitur domibus, abstrahitur ad saxa Caprearum et maris solitudinem pubes ingenua, stupris polluenda senilibus : una tamen queritur mater ! silent viri ! quinetiam vires sævienti addunt ! Quum aliquem speres sibi cæterisque, nece Tiberii, tandem consulturum, sumunt quidem Romani gladios, sed interfectorem suum stipaturi , pestemque suam ultro protecturi !

Ecquis, rogo, talia quosvis per *Annales* legens, historico vel eloquentissimo statim non diffidat ? Ullumne unquam populum huc tolerantiæ, imo insaniæ, descendisse ? ullum se catervatim trucidandum ultro prodidisse ? Hic tristissima quæque de insita hominibus ignavia, de fædo et interdum inexsaturabili servitii amore jactent illi quibus sermones hoc genus cordi sunt ; Italorum in primis animos, ut natura alacres et ad quælibet promptissimos, ita molliores debilesque commemorent ; nondum equidem cæterorum hominum adeo spernax factus sum, ut tam gratuitam ignominiam, tam stupidam inter sæviora in dies et fædiora inertiam, denique tam inexplebilem calamitatum et opprobrii sitim evaleam saltem intelligere. Inde fit ut suspicari cogar multa ab historico dissimulata, plura attenuata, quæ tot scelerum tamque inauditi obsequii non dico excusationes, at certe causas, attulissent.

Quas ut assequamur, si propius jam *Annalium* formam et scriptoris artes inspexerim, si ad auctores confugerim

penitus penitusque infra virilem illam ac splendidam C. Cornelii eloquentiam jacentes, si testimonia illorum ad refellendum Tacitum evexerim, obtestor ne in me statim aut temeritatis, aut arrogantiæ crimen jactetur: summo nempe tanti ingenii amore, summa admiratione, pridem percussus, ab ipso demum tam suspiciose agere coactus sum : cui contradicere grave quidem et acerbum habeo, sed naturæ humanæ calumniam inferre ipsique Deo quasi diffidere multo magis verear!

III.

TIBERII ANTE PARTAM DOMINATIONEM VITA A TACITO NON SINE MALIGNITATE REVOCATA.

Quum, in rebus Tiberii memorandis, Tacitus annorum ordinem secutus sit (quæ quidem forma non mediocriter obtrectationi convenire videatur), liceat et nobis illam narrationem examinantibus temporum quoque ordine perduci.

Ea igitur jam primum intueamur quæ in *Annalibus*, de acta Tiberii ante partam dominationem vita passim obiterque jacta sunt. Pessime apud *Annales* totus populus auguratur de Claudio illo, in superbia domus regnatricis educto : atqui, si ad alios historicos, multo minus facundos, sed non multo minus graves, respexeris, Tiberius idem ille plurima aut in bello, aut in toga antea gesserat, populo non ingrata : scilicet, decimum nonum annum agens, pro sex sociorum civitatibus Augustum ac Senatum deprecatus erat [1]; gravissimam annonæ curam haud improspere administraverat, Italicisque ergastulis cives liberaverat quos domini locupletes ac plerique Nobiles, per insidias exceptos, suppresserant [2]. Fatebor dam-

[1] Suetonii *Tiberius*, VIII. [2] Suetonii *Tiberius*, VIII.

natos, et illo incusante, duos ex illis Optimatibus historico nostro gratissimis, Cæpionem ac Murænam, qui Augustum trucidare aggressi erant[1] : sed eam Tiberii operam, ut Tacito fortasse non acceptam, ita non improbatam plerisque civibus putem, qui publicam securitatem, uno imperitante, quam « libertatis illam appellatio- « nem, sine corpore ac specie,[2] » multis turbantibus, malebant.

Armis vero successor Augusti adeo inclaruerat, ut eum « spectatum bello » Tacitus negare non potuerit[3], sed militarem illam laudem callide destruit : aut enim Asinius Gallus ab eo inducitur, in senatu, per adulationem, Tiberium victoriarum suarum admonens[4] ; aut ipse Princeps sua in profligando duce Suevorum, Maroboduo, consilia efferens[5] ; ita ut minus Tiberii bellicæ agnosci virtutes videantur quam arrogantia ostentari. Ille tamen, Armenia pacata, Crassi receptis signis, protecta in Barbarorum incursus Gallia, subactis Alpium et Dalmatiæ gentibus, collocatis dein ad Rhenum quadraginta millibus Germanorum, quum jam summis prioris ævi Imperatoribus, omnium opinione, æquaretur, mox totius Pannoniæ populos, situ, juventutis multitudine, militum etiam disciplina, formidandos, ac rebellantes cum ingenti Romanorum metu nuper Variana clade perculsorum, trien-

[1] Suetonii *Tiberius*, VIII.
[2] A. J. Cæsare dictum.
[3] Ann. I, 4.
[4] Ann. I, 12.
[5] Ann. II, 26, 63.

nio represserat cum minimo exercitus sui detrimento, sed minime sibi parcens : namque, per asperrimos sæpe menses, sine tentorio solebat pernoctare, in nudo cespite cibum capere, singula sequentis diei præcepta per libellos ipse dare, seque consulendum quacumque vel noctis hora omnibus ultro præbere. Sic gesto gravissimo externorum bellorum post Punica bello, adeo tremendus barbaris habebatur, ut Bructerus quidam, ejus occidendi avidus, quum in castra Romana clam ingressus esset jamque inter proximos duci versaretur, trepidatione ipse se prodiderit. Romani Tiberium Scipioni Africano æquabant, nec minus quam Annibale depulso lætabantur : ille tamen oblatum triumphum diu distulerat, et tandem recepti legatos suos participes esse voluerat. Atqui strenuæ modestæque illi juventæ « congestos triumphos » Tacitus videtur exprobravisse[1].

Imo solitam gravitatem vix retinuit, futilem prorsus calumniam enarrans, qua Tiberius ferebatur ipsa ob vitia selectus ab Augusto, qui gloriam sibi per deterrimam comparationem quæsivisset[2] : cui mendacio vehementer contradicit Suetonius, studii pro Cæsaribus ac singulariter pro Tiberio minime suspectus[3]. Nempe existimat Augustum, vitiis ac virtutibus privigni perpensis, has potiores

[1] Suet. *Tiberius*, IX, XVI-XX. Vell. Paterc, Hist. Rom. II, 109. Dio Cassius, lib. LV, p. 567 ad finem libri, LVI, p. 579-582 et p. 585. — Edit. Hanoviæ, 1606.

[2] Ann. 1-10.

[3] Suet. *Tib.*, XXI.

duxisse : illum enim in crebris epistolis non modo « jucundissimum et fidissimum », sed etiam « unicum populi præsidium » vocat, eumque « a se adoptari reipublicæ causa » juravit. Minime profecto asperiore et obscura Tiberii indole delectari poterat princeps longe dissimilis, qui lepida comitate fallacias et aliquando crudelitatem obvelare doctus esset ; igitur sola omnium existimatione vinci potuit ut eum sibi adscisceret successorem. Nec, si res aliter se habuisset, Velleius Paterculus, quanquam nimis effusus Tiberii, ducis olim sui, laudator, exclamare sustinuisset : « Tunc refulsit certa spes liberorum parentibus, dominis patrimonii, omnibus salutis [1] ». Cæterum electionem illam ad uxorium ambitum referendam haudquaquam putet, quisquis meminerit Augusti mentem usque validam ætati restitisse : reipublicæ demum causa, ut ipse ait, Augustus eum elegit quem, tot bellorum successu, tot rerum administrationes, ac satis diuturna laborum societate spectatum, invitus fortasse venerabatur.

Igitur imperium non vitiis aut suis, aut Augusti, sed clarissimis in patriam meritis debuerat Tiberius; quumque jam quintum et quinquagesimum ætatis annum explevisset, diu laudis et prosperæ apud publicum famæ illecebras senserat, quas nemo unquam, ut quidem reor, gratuito aversatus est.

Imo apud eum enituerant non tantummodo vis bellica

[1] Vell. Paterc. Hist. Rom. II, 103.

et administrandi calliditas, quæ quidem cum feritate indolis aliquando conveniunt; sed plurima animi humani et circa domesticos affectus flagrantissimi indicia protulerat: constat enim illi, ineunte adolescentia, dilectissimum fuisse Marcellum, Octaviæ filium, qui acerbo interceptus funere, a Virgilio immortalitati commendatus est [1]: sed præsertim fratrem suum, Drusum, egregiæ in Rhætos ac Vindelicos, militiæ quam Flaccus celebravit [2], participem, præsigni caritate coluit: eum scilicet, Germaniæ legionibus imperantem, ægrotare supremisque jam admoveri vix audito, Tiberius, relicta Urbe Alpibusque raptim superatis, prope incredibili usus celeritate, adeo ut ducena millia una die sit emensus, ultimum fratris spiritum excipit, et corpus, pedibus toto itinere ipse prægrediens, Romam pervehit: amissum pro Rostris laudat, sicuti jam patrem suum, nonum annum agens, laudaverat; vixque paucis ad quietem insumptis diebus, iterum Rhenum advolat, defuncti tum vicem expleturus, tum ab hoste expressurus ultionem [3]. Cujus pietatis præmium deinceps tulit, quum, in suis Capreis inclusus, Antoniæ (quæ Drusi uxor fuerat) epistola Sejanum res novas moliri præmonitus est, eoque indicio servatus.

Erat igitur Tiberio indoles probis affectibus minime abhorrens. Quam vero difficile fuerit quin primis statim ab annis exacerbaretur et aliquid horridum ac triste con-

[1] Suet. VI.
[2] Odarum IV.
[3] Suet. VII, 6.

traheret, clare perspicient quicumque vitæ, vel ante Principatum adeo exercitæ, casus, contumelias, pericula, usque ad mortem Augusti, paulum recensuerint.

Licet Venusinus poeta « paternum Augusti animum in pueros Nerones[1] » jactaverit, minime acceptus Augusto adoleverat in Palatio puer illius Tiberii Neronis, quem Livia priorem amaverat; qui solvenda Bruto Cassioque, ut tyrannicidis, præmia censuerat; qui L. Antonium, mox S. Pompeium, sectatus contra Octavium, servos Neapolitenses ad pileum et ad arma convocaverat[2]: ipsi adolescentulo deerat puerilis illa festivitas quæ Drusum, fratrem minorem natu, videtur commendasse: sed abstrusum ingenio et sermone, illepidum vultu, plerumque taciturnum, Augustus « πρεσβύτην » vocitabat illudens; libertique domus, mox famuli, eum pro ludibrio habere consueverant, impune, quia probante domino. Sic teneris ab annis offensas recondere, clam odisse, irasci, metuere, Tiberius necessario didicerat.

Maritum deinceps longe molestiora conflictaverant, quum Vipsaniam, Agrippa genitam et Attici[3] neptem, uxorem sibi concordem et dilectissimam, dimittere, nec sine magno angore animi[4], coactus est, exceptamque vidit ab Asinio Gallo, acerrimo sui derisore, et quem postea inter senatores maxime infensum habuit. Simul, in

[1] Od. IV.
[2] Suet. IV.
[3] Ad quem nempe exstant Tullii epistolæ.
[4] Suet. VII.

locum optimæ conjugis pessima successerat mulier, nempe famosa illa Julia, quæ, licet Tiberii præcupida (quod palam, vel sub priore marito, ostenderat), mox sibi junctum adulteriis suis non minus ridiculum quam mœstum effecit; nempe, sui dedecoris haud ignarus, fædissima quæque, Augusti respectu, diu tolerare coactus est.

Quibus acerbitatibus pulcherrimum suffugium manifestus est quæsivisse, scilicet vitam in castris, asperrimos longinquorum bellorum labores et utilem patriæ gloriam.

Hinc vero majora coorta erant pericula, quum tanta laude duobus Cæsaribus, Caio et Lucio, quos Augustus nepotes in spem imperii protinus excipiendi tunc educabat, Tiberius, barbarorum domitor, officere videretur. Illorum igitur insidiis ac forsitan sicariis[1] vitricoque ipso diffisus, simul domesticarum curarum mole victus, urgentibus simul tædiis ac metu, uxorem, urbem, aulam, pariter nec immerito invisas, fugerat, proficiscendi properus et paucos admodum in digressu exosculatus.

Quod si, Rhodum tunc navigans, tempestate illa qua jactatus est, fuisset feliciter interceptus, nonne omnes indoluissent, ut probum ac strenuum civem, qui aliquando optimus futurus esset Princeps? Hactenus enim nihil ferme pravi, nedum portentosi, prodiderat: *Superbus* quidem arguebatur, sed gentile hoc vitium majores ejus sæpe faustum ac felix reipublicæ fecerant; *horridus*

[1] Suet. XIII.

obscurusque tum vultu, tum sermone : quid vero mirum, tot acceptis contumeliis ? *vinosus*, adeo ut eum pro Tiberio *Biberium*, pro Claudio *Caldium* (si quidem commentis quæ coacervavit Suetonius, fides adhibenda [1]), milites vocarent ; sed, quocumque se ea res habuerit, nihil unquam tali de causa domi vel militiæ secus admiserat, summaque veneratione exercitus omnes illum prosequebantur ; denique *feminarum amator*, sed hactenus suarum tantummodo : at sævitiæ indicia adhuc aberant.

Equidem insitas Tiberio, sicuti plerisque hominum, pessimas quasdam libidines haud infitias iverim, nec immemor sum illum a præceptore Theodoro hac nota signatum : « πηλὸν αἵματι πεφυρμένον [2]. » (quanquam professorem istum rhetorum exaggeratione tunc abusum reor) : quidquid vero « sævi aut lenti », ut ait Suetonius [3], inerat, Tiberius ad hunc usque tricesimum quintum annum, non dico dissimulaverat perfide, sed egregie domuerat ; neque profecto illis libidinibus aliquando inservire fixum jam ac destinatum habebat : sed hac Rhodiensi secessione, quam vix Tacitus obiter ac leviter memoravit, et quæ tamen septem annos e media exsulis vita quodammodo exemit, illius animus penitus labefactus est, et ad pessima quæque sensim inclinatus.

[1] Suet. XLII.
[2] LVII.
[3] Suet. LXII.

Quum enim nihil magis quam contemptus hominum et assidua de propria salute anxietas, cum spe summæ fortunæ mixta, quemlibet conturbare et pessumdare valeat, eos sensus vita Rhodi acta debuit in Tiberio quam vehementissime irritare. Per prima enim exsilii tempora, ab omnibus se excoli vidit, ut qui Tribunitiam potestatem et famam amicitiæ Augusti Roma abstulerat : quarum munere, omnes illam Principis quasi imaginem religiose vereri certabant : hinc sedula civium romanorum, magistratuum, legatorum ab Urbe ad provincias præternavigantium officia : hinc ipsorum Rhodiensium erga insignem et tantæ spei hospitem adulationes, quarum servilitas usque ad crudelitatem delapsa est : quondam enim, quum, mane diem disponens, prædixisset se ægros omnes visitare velle, confestim Rhodienses miseros illos, nullo habito infirmitatum et periculi respectu, domibus suis in publicam porticum delatos, per valetudinum genera exposuerunt [1]. Quod quidem factum Tiberius adveniens vel tenuissimo cuique excusavit : sed populum, qui potenti viro propinquorum et parentum suorum dolores in spectaculum ultro proponeret, nonne merito ac necessario adspernatus est?

Postquam vero, transacto tribunatu negatoque Romam reditu quem imploraverat, etiam admonitus est ab Augusto « dimitteret curam eorum quos tam cupide reli-

[1] Suet. XI.

quisset[1] », repente omnium animos, veluti signo dato, conversos sensit : nullus jam eum invisere ; imo omnes devitare, repellere[2]. Quum ipse privignum suum Caium Cæsarem, juvenem Orienti præpositum et Sami morantem, adire ac venerari occœpit, sinistre exceptus est, tanquam supremo Domino suspectus. Ecquis trepidam enarret vitam, quam per biennium, veluti damnatus, habuit, dum custodem quemlibet factis dictisque suis frustra efflagitaret, dumve statuas suas, tanquam hostis publici, a Nemausensibus eversas audiret, aut se ludibrio et exsecrationi apud juvenes Cæsares esse, adeo ut Caio familiaris quidam, per convivium, polliceretur se, dummodo juberet, « caput exsulis » jamjam relaturum[3]? Exin, nihil nisi novissima exspectans, ac terrore ad summum perducto, preces pro reditu, connitente matre, iteravit, ac tandem impetravit.

Sed, diuturno ab illo supplicio Romam regressus, quum jam annum quadragesimum et secundum explevisset, habitum animi funesta in illa insula contractum non jam exuere poterat : mansit igitur hominum diffidens et spernax, vultu ac sermone intentus simul et obscurus, at præsertim anxius, trepidus, ut qui se irrisu, contumeliis, odiis circumventum indesinenter et obsessum intellexisset.

[1] Suet. XI.
[2] Suet. XII, XXXII.
[3] Suet. XIII.

Vel restitutum in patria timor angebat ex Augusto, cui se nunquam gratum fore sentiebat, et a quo fuerat revocatus ea conditione demum, ne quam reipublicæ partem attingeret. Ideo, sibi novum quoddam vel intra Romam exsilium irrogans, e Carinis ad Mæcenatis hortos secedit, ubi, inter grammaticos, inanibus litterarum studiis indulget. Defunctis post triennium Caio et Lucio, adoptatus ab Augusto, spem successionis certam tandem tenuit. Permanebat tamen metus, propter invidam ac suspicacem Principis et ipsius Principatus indolem : quo magis igitur ad illud fastigium fortuna et omnium opinione evehitur, eo humilius se deprimit : domi nihil jam prō patre familias agere, ac ne legata quidem percipere[1], ut qui nihil jam sit, nisi per Augustum.

Castris mox redditus, dum se adversus hostes semper audacem præbet, respectu tamen Principis, cunctanter imperat : multos enim, præter suam consuetudinem, in consilii partem vocare[2]; debellatis Pannonia et Germania, triumphum eludere, differre, et cum suis ultro communicare legatis : ad Capitolium denique conscensurus, primum curru descendit, se præsidenti patri submittit ad genua, spectante populo ; manubias non Marti aut Jovi, ne superbiæ argueretur, sed Concordiæ et Gemellis, caute dedicat[3]; nihil denique nisi trepide et tanquam ineluctabili oppressus jugo, agere videtur.

[1] Suet. XV.
[2] Suet. XVIII.
[3] Suet. XX.

Sic, per priorem vitæ partem, Tiberius jam Principatus victima, vel inscius, esse cœperat : illius enim haud spernendis tum animi, tum mentis dotibus, præditi, sed in regnatrice domo educati, ambitionem ac libidines prompte irritavere supremæ potentiæ contactus et exempla: mox, per opprobria simul et gloriam, per exsilium ac denique voluntariam servitutem, per spes quam maxime splendidas et acerrimos metus, ad principale fastigium traductus erat. Sic informatum aut potius dilaceratum animum si deinceps subita omnipotentia, inauditis periculis veluti cincta et horrens, exceperit, quid eveniet?

IV.

TIBERII, PRINCIPATUM INEUNTIS, PERICULA DISSIMULATA A TACITO.

Annalibus si credideris, Tiberius, etsi validissimis munimentis insistentem potentiam accepisset, attritis pridem Optimatium viribus, novam servitutem plebe per socordiam complexa, nec abnuentibus provinciis, pellecto per dona milite, cunctis denique jussa Principis adspectantibus, tamen, ingenitæ perfidiæ indulgens, oblati oneris mole conterritum se et ambiguum imperandi simulavit, quo certius Procerum voluntates introspiceret futurasque jam destinaret victimas[1]. Suspicacem vero et anxium exstitisse Augusti successorem nemo prorsus mirabitur, dummodo vitæ anteactæ miserias rursus et casus reputet, præsentisque magnitudinis præceps despexerit. Prima scilicet ab infantia neci objectus[2], dein uxorem dilectam dimittere et cum altera, sed infami superbaque, vivere coactus, mox in insulam ejectus quo facile sicarii permearent, propinquorum et ipsius filii voluntatem expertus adversam, continuis acerbitatibus eo asperius dilaceratus erat, quo magis reconditæ et prospe-

[1] Ann. I, 2–4, 7.

[2] Suet. *Tib.* VI.

ritatis specie tectæ latuerant. Sed regimen rei Romanæ excipienti multo majora impendebant pericula : quæ consulto dissimulavit historicus noster ; nec tamen efficere potuit quin aliqua eorum quasi umbra, vel in ipsius narratione, undique deprenderetur. Novum scilicet illum Urbis et Orbis dominatorem, quem adeo præpotentem ac tutum Tacitus contendit, cur miles in Foro, cur in Senatu miles protegit? Cur defuncti Principis rogum, cur recentis domum, arma defendunt[1]? Nonne tot metus indicia, gratuito prolata, vix coalescentem auctoritatem resolvissent?

Nihil autem in illis rebus gratuiti, nihil quod non coactum esset ac necessarium : exstincto scilicet Augusto, quæcumque ille inchoaverat, rursus in ambiguo erant : nam J. Cæsaris nepos, quum veterum Patriciorum, quorum in manibus per tot sæcula Romana res fuerat, eam in Urbe auctoritatem, vires eas circumspexisset, quas intestini belli clades, repetitæ licet ac cruentæ, omnino affligere non valuissent, potestatis et vitæ ipse anxius, nihil a prioris ævi institutis, apud populum diuturnam ob consuetudinem sacrosanctis, omnino discrepans induxerat[2]. Antiqua munia non sustulerat, sed singula paulatim, ac velut ad tempus, induens, ita pro æternis agnovisse videbatur : in Senatu Princeps, Tribunus in Foro,

[1] Ann. I, 8.

[2] Dio Cassius, *Tib.* LII, p. 493, D.

apud exercitus Imperator, apud provincias Proconsul, quasi recepta in se tota Republica, inauditam antea quamdam auctoritatem sibi composuerat, quæ, nullis descripta terminis vocabulisque maxime gratis populo signata, plerisque civibus par longo cuidam interregno videri debuit. Mira denique arte Principis partes egerat, natura comis privatumque multa cum solertia simulans, et omnium plausus, peracta fabula, prorsus meruerat : Principatum vero ipsum ostenderat potius quam condiderat, nullaque satis certa lege innixum reliquerat [1].

Ipso igitur Augusto deficiente, nihil tam stabile, tam compositum supererat quod repentina quælibet tempestas aut abripere non valeret aut disjicere.

Protinus autem res maximi momenti agebatur, libertasne, quæ haudquaquam abolita fuerat, sed tantummodo apud unum aliquantisper seposita, nunc omnibus restitueretur, an successorem Augustus haberet, eumque quem ipse voluerat an alium. Ineundo igitur illo certamine, erectæ et accinctæ partes omnes constiterant, quæ, viribus per quadraginta quietis annos refectis, præteritas longarum decertationum miserias oblitæ, nunc odia reposta spesque præsentes tantummodo meminerant.

Quarum factionum numerum, robur, diversa studia recensere nonne scriptor Principatum Tiberii narraturus

[1] Dio Cassius, *Tib.* LIII, p. 502, 506; de Augusti administratione.

omnino debuit, si quidem claram et incorruptam rerum imaginem posteris tradere destinavisset? Dignoscendum enim cur Tiberius ipse, dissimulatione posita, multiplices metus suos toties prodiderit, quasi « lupum auribus tenens »; eam tamen curam Tacitus, nec inconsulto, omisit, neglectamque ab illo haud facile quis absolverit: tam multæ, tam confusæ, tam versicolores, ut ita dicam, factiones intra Romæ mænia tunc moventur ac miscentur! Scilicet apud populum luxu pridem socordiaque corruptum, Principatu (qui veteris Reipublicæ dignitatibus haud absimilis habebatur) omnium ambitioni tunc exposito, egregii quilibet cives militari civilive fama, aut domus claritudine, aut præsertim pecunia, in partes vi prope ineluctabili rapiebantur : quarum præcipuas modo adumbrare, et quænam, illis urgentibus, Tiberium circumsteterint pericula, explicare summatim conabor.

Metuendæ in primis erant Patriciæ illæ gentes quæ, sanctissimis inter se vinculis, cognationum scilicet connubiorumque societate, sacrorum communione, morum et voluntatum similitudine connexæ, velut densata phalange, minaces remanserant : vigebat autem in animis populi ferocis ac bellicosi memoria tot gentium ab illorum majoribus subactarum; simul plurimis civibus illudebant adhuc illecebræ libertatis illius, cujus nomine pauci potentes, cuncta agentes et miscentes, turbam in foro inter ludos ac seditiones otiantem, et legiones con-

tinuis triumphis exercitas deceperant. Non jam quidem, accepta Philippensi clade, in quietem publicam, collatis signis, illi inferebantur; sed apertis præliis tectæ successerant conjurationes, multo magis Domino ipsi formidandæ : domesticæ apud Optimates copiæ supererant, gladiatorum scilicet ac servorum nationes, quibus repente immissis, Capitolioque, ut olim, insesso, circumventave Curia, summam rerum vertere et immutare poterant.

Flagrabat ante omnia in his pectoribus sacra quædam indignatio Patricios in istos qui, ab avita ratione desciscentes, repente populares facti, cives novos ac semibarbaros in urbem Quirini et in Senatum effuderant. Quam autem inexpiabile, quam atrox illud odium, testes Sullanæ in Villa Publica cædes, testis Julii Cæsaris obtruncatio! Hunc, perfide ad pedes *Magni* Pompeii viginti tribus vulneribus confossum, quia sperans diuturnas civilium scelerum vices posse clementia tandem sisti, victoriam ultro suam temperaverat, sibimet ipsi Cæsares ante oculos indesinenter proponebant. Et quum adeo insignem virum nec patriæ pericula, tali moderatore egentis, nec illa Tullii vox, pro Dictatore Marcellum revocante veniam efflagitantis, servare potuissent; quum dein Augustus, licet plerumque lorica et valentissimis amicis septus[1], toties pugione petitus fuisset, quid

[1] Suet. *Augustus*. — Dio Cass. XLVI, p. 321, 6.

non præmetueret Tiberius, conscius quoque se novi rerum status hostibus peculiariter invisum ac spretum, ut qui, gente ortus plebis diu spernacissima, patre genitus auctore præmiorum tyrannicidis Bruto Cassioque solvendorum, ipse tamen Cæsarum potestati famulatus erat[1], diuturnaque per opprobria, extorris, et improspero cum famosa eorumdem Cæsarum filia connubio ridiculus, ad principale erepsisset fastigium?

Bona quidem pristinæ libertatis Optimates illi disserere solebant, sed supremam dominationem, ut prædam audacissimo cuique oblatam, simul appetebant : non pauci autem domum Cæsaream origine, fama, opibus æquabant; quorum præcipuos moriens Augustus successori suo denuntiaverat[2], unusque, Agrippinæ cognatus, injungi novo principi laboris socios coram senatu postulare ausus est[3]. Jam moliebantur res novas Libo Drusus et Clemens, contumax ille Agrippæ servus, multorum e domo Tiberii ipsius studiis magnoque Senatorum et Equitum numero sustentatus[4].

Ea vero nutantis adhuc domini pericula serius memorando Tacitus attenuavit[5]. Libonem quoque vecordem et facilem inanibus finxit, securumque coram illo ac placide perfidum Tiberium; debuit tamen minus vecors quam potentiæ inhians videri Patricius ille, qui Magos

[1] Suet. *Tib.* IV.
[2] Ann. I, 13.
[3] 12.
[4] Suet. *Tib.* XXV.
[5] Ann. II, 27, 39.

consuleret an nummos habiturus foret quibus viam Appiam operiret; nec adeo securum reor Tiberium qui dextram juvenis obambulans caute strictam contineret[1].

Dum illi, priscæ auctoritatis desiderio[2] in transversum acti, Rempublicam nomine populi universi, ut fit, reposcerent, auxiliabantur, improvide quidem, sed acriter, ignobiles multi, insitum æqualitatis amorem simpliciter secuti, nec satis curantes periculum subesse ne cum vetere libertatis specie vetus quoque Nobilitatis tyrannis reduceretur. Hi multo minus spernendis innitebantur subsidiis; nam plerique, cum ingenti plebis Romanæ et sociorum populorum multitudine, Germanicum, Drusi et Antoniæ filium, complectebantur, quia spem cunctis injecerat Rempublicam se redditurum. Quorum flagrantissima studia turbidosque spiritus comprimi posse desperans, Augustus aliquantisper placaverat, Germanicum jubens a Tiberio, qui tamen filium habebat, adoptari[3]: quo facto, promisisse videbatur libertatem, brevi interjecta mora, revicturam: sed et eorum simul audaciam auxerat, intelligentium se vehementer timeri, quum ipse Principatus auctor suo successori virum æquasset qui pristinæ Reipublicæ tenax habebatur.

Cuncti ergo pro Germanico eo impensius nitebantur, quod, succedente Tiberio, gravissimum hæreditatis exem-

[1] Suet. *Tib.* XXV.
[2] Dio Cass. XLIV, p. 240.
[3] Ann. I, 3.

plum in posterum ederetur, quodque in dies efflorescens Germanici bellica laus præteritæ Tiberii gloriæ officiebat. Nec vero æmulum suum hic sperare debuit facile imperium alterius toleraturum; tantus victori Arminii apud populum sociosque favor, tam accepta multis familia ejus, quæ civilem animum et castitatem, vel corruptis verendam, ostentaret; tam validæ in manu legiones, quæ, per bella civilia ditescendi copiam jam non habentes, tale detrimentum, Principes extollendo vel subvertendo, erant pensaturæ. Ergo Germanici libertatisque reditum clam parantibus multis, pluribus optantibus, exspectantibus universis, Tiberio princeps locus demum commodari, ac brevissimum quidem ad tempus, videbatur.

Hanc ipse rerum mutationem præsentiens ingruentem, minime simulatam cunctationem præferebat; quippe qui, vel suscepto imperii onere, receptum sibi ad privatam conditionem sapientia quam maxime provida diu servaverit [1]. Imo non dominationem modo, sed et vitam suam inimicis prægravem ratus, non se aliter tutum fore speravit, quam si valetudine imbecillus moxque moriturus existimaretur [2].

Ne suis quidem contra illos adversarios fidere poterat, quum ipse filius, Drusus, ingenio violentus et ad asper-

[1] Dio Cass. LVII, p. 603, D. [2] Dio Cass. LVII, p. 603 D.

rima quæque pronior, adeo ut *Drusiani* vocitarentur enses acutissimi, pro Republica staret [1]. Subsidium quidem potuit sperare novis a Nobilibus civibusque illis oppidanis, quos ipse, Augusti, D. Julii Mariique exemplum et consilia sectatus, socios ex hostibus fecerat, et in consortium Romanæ magnitudinis, ut profecto æquum fuit [2], olim vocaverat. Sed nondum satis inter se coaluerant novi isti Romani, e diversis orbis domiti partibus intra eadem mœnia collati, ut solidam prioris Nobilitatis factionem terrerent : imo nonnullos vel de novis seducebant ad se veteres Patricii, sua infortunia proponentes majorumque decora, per totam Romanarum historiarum, a se fere compositarum, seriem ostentantes.

Dein plerique Novorum pro Principibus acrius quam prudentius nitebantur, Cæsarique, dum titulos ac potentiam congererent, speciem tyranni vel ducis partium addere poterant. Denique illorum studia, ut nimia, ita non sincera ; Cæsares nempe, ut sibi faventes, tuebantur ; sed, ut Patricios, oderant : providendum ergo (idque res ipsa mox docuit), ne, prospero rerum cursu audaciores facti opibusque pollentes, ipsum Principatum rapere aggrederentur [3].

Diversæ illæ partes, quum civitatem distraherent, in

[1] Dio Cass. LVII, p. 620, C.

[2] Vell. Paterc. II, 15 : « Petebant enim civitatem, cujus imperium armis tuebantur. »

[3] Ann. IV, 1.

Curia acerrime inter se desæviebant; neque vero Senatum illum, quem scriptor noster projectum et invalidum pingit, adeo destitutum auctoritate vel contumacia, si propius attendas, credideris: Senatus demum majestate seditiones legionum vel maxime insanæ a Tiberio repressæ sunt; Senatus, vel post Caii necem, de restituenda Republica agitavit; Senatus nomine, Galba Othoque signa sua apud populum commendaverunt. Nec Patres deerant qui cuncta Tiberii in deterius traherent, ipsum, ut multum infra, despectarent, illius cunctationem, ut mimum impudentissimum, ludificarentur, libenter vim contumeliis, data occasione, addituri[1].

Nec tamen Tiberio, tot inter odia, tam multiplices inter insidias vel amicorum versanti, et undique districtos clam in se pugiones sentienti, licebat Romam omittere unde in omnia regimen. Ecquis igitur mediocri prudentia, nedum ille tam continuis miseriis edoctus et exercitus, corruptæ discordantisque civitatis, imo orbis prope totius administrationem jamjam suscepturus, diffidentia assidua armataque se non protexisset, μελλητής que (ut illum deridentes vocabant[2]) saltem necessitate factus esset?

Quem porro statum Urbis si paulum perpendas, con-

[1] Suet. *Tib.* XXIV. — Ann. III, 29.

[2] Josephus.

tinuo plurima incipientis Tiberii acta, ex *Annalibus* aut non satis intellecta, aut ridicula, aut improba sævaque, mirari desines et indignari : mendaciine Tiberium damnaverim qui, cunctabundus adhuc apud Patres de recipienda talis Principatus mole, signum tamen prætorianis et jussa exercitibus, ut Imperator, dederit[1] ? Nonne decebat a cive, qui tum summus erat, Urbis et Orbis pacem, tam multis labefactantibus, statim confirmari ? Jamne avidus infensæ tyrannidis judicabitur, qui otiosæ venalique turbæ, ad quam turpiter demerendam Augustus nuper damnosis largitionibus cum Nobilitate certabat, jus suffragii abstulerit[2] ? Num abjectioris animi Tiberium arguerim, titulos honoresque respuentem[3] ? Imo noverat subesse adulationi dolum ; sic Julium publico odio quondam fuisse a Patriciis objectum[4], nec expedire tam invidiosum fastigium obtinenti, civium animos splendore nimio lædere aut irritare : idcirco suas occupationes *non divinas, sed laboriosas,* appetentibus eumdem locum optat videri[5]. Militarem denique apparatum aulæ, per Urbem et in Palatio explicari non jam miror, neque suspectum militibus tunc fuisse istum Haterium, qui ambulantem domi novum Principem adierat manibusque impeditum subverterat[6] : hunc equidem, si Tiberio miles advigilas-

[1] Ann. I, 7.
[2] Ann. I, 15.
[3] 72.
[4] Dio Cass. XLIV, p. 243, D.
[5] Ann. II, 87. — Suet. *Tib.* XXVII.
[6] Ann. I, 13.

sem, haud longe absimilem illius credidissem T. Cimbri, qui, dolose supplex, a Julii collo togam detraxerat[1].

Quæ cuncta, ni fallor, cuilibet non inique judicanti, multo minus ambitionem crudelitatemve Tiberii prodiderint, quam initium continui illius et in dies crudescentis terroris, qui tunc Principatus vocabulo decorabatur.

[1] Plutarchii *Cæsar*, cap. 66. (Ed. Reiske).

V.

PRIOR TIBERIANI PRINCIPATUS PARS A TACITO NON SINE INIQUA MALIGNITATE MEMORATA.

Civitatem Romanam, intestinis simultatibus laborantem, Tiberius, quamvis ipse maxime in lubrico agens, per novem primum annos ita rexit ut, collùctantium factionum certaminibus inconcussus, neminem sineret aut leges supergredi, aut legibus in ceteros abuti : defensa vetus religio, sed et cautum ne, per religionis speciem, odia exercerentur humanave deluderetur justitia [1] : tribunalibus depulsi ambitus potentium; imo potentes, non sine multo ipsius periculo, damnati; sed cautum ne, arrepta Cæsaris imagine, populus in priscos tyrannos desæviret [2]; servata, sed compressa Lex Majestatis, qua plerique sibi invisos pervertere gestiebant [3]; Senatus aucta vis et munia, aucta etiam libertas [4], sed paratum contra Patrum sævitiam et ultiones suffugium apud Prin-

[1] Suet. *Tib.* XXVI. — Ann. I, 73. — III, 60.

[2] Ann. I, 75; III, 22, 36. — Suet. *Tib.* XXXIII.

[3] Ann. I, 72; II, 50. — Suet. *Tib.* XXVIII.

[4] Ann. I, 15. — Suet. *Tib.* XXIX, XXX, XXXI.

cipem; levata quorumdam honesta paupertas[1], sed amoti per flagitia infames[2]. Moribus consultum, sed ita ut mores castigandi cura quasi obtentus ad vexandos homines non sumeretur[3]; sic retractæ ad pudorem aut saltem ad pudoris speciem mulieres nobiles quæcumque ad fædam lupanarium libertatem certatim devolvebantur[4]; sed ganeæ sericarumque vestium tolerati sumptus, qui non sine multorum cladibus corrigi possent[5]. Modesta quoque severitate habita plebs; acriter coercita theatralis licentia[6], suique decoris curæ redditi magistratuum quicumque inter pantomimos et histriones turpiter versabantur; Circenses, socordiæ seditionumque metu, rari[7]; rarissima congiaria; non levata, deprecante licet populo, munia quibus Respublica alebatur[8]; sed stimulata omnium industria[9]; simul annonæ Princeps invigilans, quæ venti ac fluctus in vitam Italiæ deliquissent, corrigebat, nunquam absurde magnificus, ut Primores olim solebant, sed sapienter munificus[10]. Omni denique ratione civitas, ignavæ discordique lasciviæ assueta, ad disciplinam, ad laboriosam quietem, ad concordiam revocabatur.

[1] Ann. II, 37; I, 75. — Suet. *Tib.* XLVII.
[2] Ann. II, 48.
[3] III, 25; II, 33. — Suet. *Tib.* XXXIII.
[4] Ann. II, 85. — Suet. *Tib.* XXXV.
[5] Ann. III, 53.
[6] I, 77. — Suet. *Tib.* XXXIV.
[7] Suet. *Tib.* XLVII.
[8] Ann. I, 78.
[9] II, 37.
[10] II, 87; IV, 6; II, 48.

Quæ instituta ad servitutem spectare quis contendere sustineat, nisi diffidentia ipsum vincat Tiberium[1]? Nihil quidem in Augusti successore natum ad allicienda vulgi studia, horridi mores, acerba oratio, sui obtegens animus[2]; nonne vero libertati publicæ comitas multo magis metuenda, quoties parandæ tyrannidi fingitur?

Illa igitur Tiberii primordia historici, vel quos severissimos judices habuit, nempe Dio Cassius ac Suetonius, ille Thucydidis imitator, hic senectæ Tiberianæ diligens magis quam verecundus insectator, simpliciter laudavere[3]. Eadem vero acta sic Tacitus tractavit, ut cuncta ad infensam tyrannidem, quæ postea erupit, parata a Tiberio et perfide jam a principio directa viderentur. Sed miras componendi ac scribendi artes, quibus tale propositum historicus assecutus est, quum explanare susceperim, me ipsum valde in lubrico versari sentio : tantam ille vel in obtrectatione modestiam aliquando servavit! tam subtilibus ac variis res proferendi modis usus est! tam severam denique justitiæ speciem verbis omnibus suis indidit! Cæterum talem virum mendacio unquam sese ultro polluisse haudquaquam contenderim; ecquis vero nescit plurimos reperiri posse, vel citra mendacium, temperandæ veritatis modos, quibus apud veteres vel summi non abstinent

[1] Ann. I, 81.
[2] IV, 7.
[3] Dio Cassius, p. 606–610, Edit. Hanoviæ, 1606.

historici? Possunt scilicet probandæ res aut maligna laude vix remunerari, aut perfida subinde interpretatione detrahi, aut pejorum vicinitate quasi contaminari: possunt et quædam prætermitti leviterve præstringi, quibus penitus cognitis et in lucem ingenue prolatis, multa aut excusata aut clementius damnata forent : at rursus quæcumque contemptum, odium, suspiciones conflare valent, possunt, aut non affirmata, legentium in mentes tamen injici, aut enarrata, multa accendi vehementia largoque ingenii splendore illustrari.

Eas autem artes sic a Tacito fuisse adhibitas, ut ipsius solertia multo magis quam æquitas per totam illam narrationem eniteat, pauca jam exempla declarabunt.

Sæpe res manifesto fortuitas, ipsi agenti inopinas, aut certe levissimi momenti, subdolis et arcanis Tiberii consiliis *Annales* adscribere solent. Abest Princeps sanguineis ludis a Druso filio editis; qua absentia quid simplicius, quid vulgarius? At noster : « Non crediderim ad « ostentandam sævitiam movendasque populi offensiones, « concessam filio materiem; *quanquam id quoque dictum* « *est*[1]. » Sic quod a se credi negat, tibi tamen subjicit. Abest funeribus Germanici mater; quam anili luctu et valetudine præpeditam credere licet in promptu sit, Tacitus, exquisita sagacitate utens, cohibitam contendit a

[1] Dio Cassius, I, 76.

Tiberio qui domio non excedebat, « ut par mæror, et matris exemplo attineri patruus videretur[1] ». Quotiescumque aliquid civiliter aut munifice agit Cæsar, Tacitus id breviter transcurrens, aliud minus probandum statim arcessit; sic : « Quanto rarior apud eum popularitas, tanto lætio- « ribus animis accepta » ; aut : « Census quorumdam « Senatorum juvit, quo magis mirum quod Hortali preces « superbius accepisset[2]. » Continuoque inducuntur hinc Hortensii nepos, liberos suos parvulos et egenos Patribus commendans, inde Tiberius severe intempestivam illam efflagitationem increpans : apparet sane, quamvis reticente historico, nobilem illum juvenem, qui « propter varietatem temporum, » si quidem ipsi credas, eloquens fieri non potuit, socordia segnitiaque ad inopiam devolutum, nec immerito tales pauperes ærarii foribus detrudi; tamen mendicantem illam familiam non miserari non possumus, Tiberium autem probamus forsan, certe non amamus : hoc profecto scriptor voluit[3].

Alibi Tacitus sapienter constituta irridet : coercendum Tiberim doctis potius viris quam Sibyllinis carminibus, quibus veteres Patricii tamdiu credulam turbam deluserant, committit Princeps : historicum quidem nostrum, licet vetustis superstitionibus imbutum, non aliter acturum fuisse sperem : num igitur locus erat Tiberium ar-

[1] Ann. III, 3.
[2] 69.
[3] Ann. II, 37.

guendi quod « perinde divina humanaque obtegeret[1]? » Prudenter cauta aliquando insectatur : corruptorne libertatis vocari debuit Cæsar, quia, prætori assidens, omnium jura contra paucorum preces tuebatur[2]? Aut tanquam callidus inauditique juris repertor incessi, quia Nobilium res novas molientium servos, actori publico mancipatos, de dominis interrogabat? Videlicet istis Nobilibus permittendum erat, ut, intra domesticos parietes, suis Senatusconsultis protecti, manus servorum armarent[3]?

Cunctis denique Tiberii benefactis aliquod « Caveas! » præponit sinistramve subjungit interpretationem. Senatu nempe gentium omnium jura, fœdera, religiones libere introspiciente, laudat quidem magnam ejus diei speciem, sed jam curaverat ut eam, tanquam inanem antiquitatis imaginem, sperneremus[4]. Cæsari, inter acerrimas Patrum contentiones, sæpe contradicitur, sæpe obstrepitur; multi etiam contendunt, audiente ipso, posse sine eo summas imperii res tractari[5]; nec requies tamen quin historicus Senatorum libertatem oppressam, captivas linguas incuset[6]. Patrum a vetere Republica stantium et nunc corruptos mores increpantium, quasi aut ipsi semper integri agerent, aut culpa ad Principem referenda foret, nunc simulantium per superbiam se vili Curia rus

[1] Ann. I, 76.
[2] 75.
[3] II, 30; III, 22, 67.
[4] Ann. III, 60.
[5] II, 35, 51.
[6] III, 51; I, 77; III, 65.

aliquod abditum permutaturos[1], contumaciam demiratur periculi spernacem ; sed eorum rursus qui Principis vires aut dignitatem confirmare student, sententias ut mera ridiculas adulatione miseratur, adulationi interdum assignans ea quæ sapientiæ et pacis curæ forent rectius adscripta : quid juvat obsequio erga Sejanum referre proconsulatum a Lepido recusatum, quum tot tamque validis de causis oblatum munus Lepidus declinet, quumque Lepidi libertatem Tacitus ipse alio loco laudaverit[2]?

Sed longe doctiore malevolentia circa Majestatis judicia scriptor usus est : illiberalem quidem legem illam qua Augustus, licet prudens civilitatis ostentator, Principatum contra hostium insidias præmunire coactus erat, Tiberius, se multo infensius peti sentiens, non sane sustulerat; sed non per eum stetit quin intra boni usus terminos contineretur : ipsius enim precibus tres rei aut graviore, aut omni, pæna liberati[3]; duo ab ipso contra Senatus iram insigni cum moderatione defensi[4]; vindicatus et alius, delatoribus punitis[5]. Quæ clariora quam ut sileri possent, sic Tacitus suspecta invisaque reddidit : hæc nempe priusquam commemoret, Legem illam Majestatis, tanquam præcipuum tyrannidis instrumentum denuntiatam, a Tiberio statim reductam monstrat pri-

[1] Ann. II, 34.
[2] III, 35, 57.
[3] I, 73, 74; II, 50.
[4] Ann. III, 67, 70.
[5] III, 37.

moque coercitam, ut demum, sensim adolescens tardoque, sed certiore, subrepens gradu, cuncta vehementius corripiat : hinc Tiberius eo pejor videtur quo clementiorem se præbet[1]. Sed hic quoque plurima cum illo tyrannidis concepto jam consilio minime conveniunt : debuitne iste effrenæ crudelitatis meditator vinculis ultro se impedire, decernens ne damnati decimum ante diem necarentur[2]? Nonne igitur judicia illa Majestatis, quæ Secundatus noster[3], libentius Tacito assentiens, vituperavit, ab ipso historico perfidius quam a Principe tractata dixeris?

Sed maxime subtiles ac splendidas artes explicuit, in enarrandis quæcumque suum ad Germanicum pertinerent. Hunc, libertatis facile promissorem ideoque tot votis ad regimen generis humani vocatum, Tacitus, per primos *Annalium* libros, oculos ante nostros tam assidue reducit, tamdiu retinet, illius prospera sic extollit, tam impense excusat adversa, ut Germanicus trans Rhenum ac Visurgim, apud horridas gentes, victoria exercitus, potius quam Princeps Romæ sedens et verba Patrum cavillans, vere principales vices explere, summumque, tum in imperio, tum in opere, locum obtinere videatur : singula quæque Germanici detrahens ostenditur Tiberius;

[1] Ann. I, 72, 73; II, 50.
[2] III, 51.
[3] Montesquieu, *Grand. et Décad.* XIV.

atqui nonnulla toleravit, quibus juvenis Cæsar se supra leges evexisset, Principis dico fidem apud rebellantes milites simulata epistola devinctam, et provinciam Ægypti contra instituta Augusti penetratam[1]. Affirmat scriptor relegatum in transmarinas provincias Arminii victorem ut, parto decori abstractus[2], casibus objectaretur: nonne autem, inclemente sub cœlo, dum contra catervas tot legionum ac Vari interfectrices, contraque asperrimas locorum difficultates et maris hyperborei procellas luctaretur, multo graviores casus impendebant? Nec adeo ingrata ipsi Tiberii æmulo fuit illa vere principalis profectio, intelligenti scilicet minime spernendum novum decus, pulcherrimas Orientis civitates, potentissimas ac tum vehementer minaces gentes pacandi, ita ut, a campis Idistavisi ad Parthorum fines ultimos, vis bellica Germanici clementiaque populis ab omnibus concelebrarentur.

Sed, si Tacito credimus, ad mortem miser, non ad gloriam mittebatur: cunctas enim hujus tragœdiæ a profectione Germanici ad Pisonis necem partes sic fere composuit[3]: prænuntiatis atroci Pisonis ingenio communique illius ac Tiberii in Drusi et Antoniæ filium odio, subjunguntur triste Clarii Apollinis oraculum Pisonisque adventus ille turbidus et quasi fatalis, quo Athenæ, mox

[1] Ann. I, 36; II, 59.
[2] II, 26.
[3] Ann. II, 43; 53-62; 69-85; III, 1-20.

Antiochia, conterrentur; brevi languentis et veneficia incusantis Germanici questus, suprema apud amicos morientis dextram contingentes mandata, verba denique metum e patruo prodentia excipimus; Romæ inde lamentationes iteratas congestaque in Principem et Augustam crimina audimus : contra, Tiberius, gaudium male tegens, popularem luctum increpans, filii ulciscendi minime properus talique de scelere cognitionem rhetorica ad causidicum Trionem monitione concludens, ostenditur. Proponuntur etiam, ad arguendam Principis conscientiam, Pisonis fiducia, mox terror, prout Dominum aut faventem sperat, aut adversus omnes affectus clausum reperit : denique, quo mors et ipsius venefici suspectior exsistat, inducitur postremo, gravissimus in Germanici patruum testis, libellus quem Pisonis manibus, immisso percussore, abreptum Tacitus e senioribus audivit; depingiturque ipse Cæsar hac nece, quam voluntariam vocat, se mœstum simulans et crebris interrogationibus exquirens qualem Piso noctem supremam exegerit. Quem vero ad finem eloquentissimus narrator miserationem, suspiciones, dolorem, odium in nostris animis continuavit, nisi quo libentius credamus id quod affirmare non audeat, sed credi cupit, nempe a Tiberio per Pisonem interceptum esse Germanicum, suppressumque per dolos prioris sceleris adjutorem ac testem?

Hic veritatem nobis propius indagandam reor, ne

temere detestandum statuamus esse Principatum, quem tam nefaria facinora sint auspicata. Confirmem equidem nulla in Germanici vitam data Pisoni mandata, veneficiumque, si quid tale fuerit, solis Pisoni ac Plancinæ uxori imputandum; præterea, necem Pisonis omnino voluntariam fuisse. Quæ cuncta protinus demonstrare aggrediar, iis nixus quæ apud cæteros historicos et præsertim apud ipsum Tacitum reperiuntur.

Primum autem num crediderim Germanicum illius patrui fraude interceptum, qui Drusum, patrem ejusdem Germanici, tam pia coluerat amicitia? Et Germanici mater, Antonia, quæ in Palatio apud Principem semper vixit, et quæ, ut mater, maxime perspicax esset, num in domo interfectoris consenuisset? nonne refugisset, illum hominum odiis et Deorum iræ devovens? Atqui, dum plurima contra illum audiret quotidie jactari, mansit hospes, mansit amicissima : imo illius vitæ, illius potentiæ (ut supra memoravi), accurate invigilavit, consuluit!

Eam præterea ipsius Germanici indolem, eum erga Tiberium a quo adoptatus erat, animum, eam de regenda republica sententiam fuisse contenderim, ut vivere juvenem non modo haudquaquam illi nocere posset, sed imprimis expediret. Nam, licet Drusi filius creditus sit, perinde ac pater, libertatem redditurus si unquam rerum potitus fuisset, videtur tamen Principatus formam haud

ægre toleravisse : fuit ille (si verba usurpare ausim inter nos hodie sæpius jactata), *liberalis* quidem, sed *conservator* : inerat nempe ingenium egregium quidem et erectum, sed minime ferox, seque obsequio aptissimum ab initiis Tiberii præbuit. Ultro, pro firmanda nutantis adhuc Principis potentia, apud legiones suas impense nisus est ; dum Romæ recens adhuc dominus infensum Germanici cum victricibus legionibus reditum extimesceret, ille militum qui, successorem Augusti subvertere gestientes, duci suo locum subversi pollicebantur, studia abominabatur et eloquentia compescebat [1].

Cæterum ipsam illam seditionem, cujus imaginem adeo vividam *Annales* expressere, non animi constantia repressit (quod melius profecto decuisset, utque nonnulli ipsius præfecti, licet auctoritate ac fortuna longe minores, fecere) [2]; sed pleraque levamentorum quæ exposcebant rebelles, nempe missionem ac pecuniam, aut concedens, aut promittens [3], tributum quodammodo illis ex viatico suo et amicorum persolvens [4], ac tandem sui miserationem, non terrorem, incutiens [5], minacem turbam flexit potius quam domuit.

Satis apparet præterea ipsam Agrippinam, licet mariti amore præsignem, acriorem in illo pervicaciam et firmitatem magis imperiosam desideravisse, videturque virilis

[1] Ann. I, 35.
[2] 38.
[3] 36, 39.
[4] Ann. I. 37.
[5] 40–44.

illius feminæ animus apud milites plus auctoritatis et momenti quam mariti indoles habuisse[1].

Jam ex illo tempore potuit igitur acquiescere Tiberii diffidentia, quum in viro, quem multi tanquam æmulum intentabant, ea modestia, ea de stabiliendo Principatu sollicitudo, ea denique tuendi patrui cura enituissent. Sed quanto magis securus agere debuit post placidum ac mitem victoris illius regressum! Dum nempe tota Italia ad illum rueret qui barbaras gentes a Rheno ad Albim subegerat; dum multi, libertatem simul redire sperantes, ad eum contemplandum et exhortandum confluerent, quid ille ardenti multitudini ostendit? nempe quinque suos pueruloos, inter quos, in triumphali curru tranquille sedens, Urbem invectus est!... Ergo flagrantibus studiis civium Principatui infensorum sese ultro subduxerat, adeo ut id ipsum nunc etiam incusent nonnulli ex nostris criticis nobilissimi, Italiæ libertatem, everso Tiberio, acrius, ut manifestum est, quam ipsa tunc Italia exoptantes.

Nec invidia magis quam metu debuit Tiberius in Arminii victorem concitari; namque parem ac forsan majorem in castris gloriam is consecutus erat, qui Mario et Scipionibus æquabatur: ambo præterea artibus diversis, Tiberius nempe scientia militari, severitate, pertinacia,

[1] Ann. I, 40, 41.

prudentia, Germanicus instinctu quodam bellico, clementia in victos ac felici audacia, inclaruerant.

Denique comitas illa curandi, qua sociis et provinciis adeo gratus erat, Tiberio neque formidolosa esse poterat nec ingrata; hac enim æquitate nova Cæsarum auctoritas prisco Senatus ac populi imperio antecellebat, iique mores recentis ævi institutis robur addebant. Confitetur ipse Tacitus, compositis a Germanico Orientis rebus, lætiorem se præbuisse Tiberium pace sic parta « quam si bellum per acies confecisset[1]. » Ergo juvenis necessarium cuncta regenti offerebat subsidium, isque socius profecto non minus utilis, sed minus perfidus fuisset quam exstitit Sejanus.

Denique salus ejusdem turbidas multorum mentes, restituendæ libertatis avidas, in tempus spe blandissima demulcebat : mors contra, suspicionum et odiorum ampla materies, uxorem sui impotentem nec jam a sapiente et dilecto marito frænatam, filios mox adultos, militum denique ac familiarium turbam, in Principem erat necessario armatura. Nonne igitur mortem Germanici patruo, quem patrem illi adoptio fecerat, inter adversa, nedum prospera, habendam, et maxime periculosam, nedum opportunam, fuisse fatendum est?

[1] Ann. II, 64.

Cæterum illa mors (si non ad fatum referenda videatur), quibus demum inimicis imputanda sit, nonne ex ipsis *Annalibus* abunde liquet? Num nefandis Tiberii in filium suum mandatis opus ad vexandum, imo intercipiendum Germanicum, fuit Pisoni, qui Cæsares, ut multum infra, despectabat, utque priscos patris sui pro Bruto et Cassio acerrime militantis adversarios, detestabatur[1]? Nonne satis ostendit ipse quo nequitiæ et audaciæ provehi ultro posset, provincialibus, quos sibi conciliare Tiberius et Germanicus studebant, contumelias gratuito ingerens; Athenis[2] et Orienti insultans; nunc Regem Armeniis volentibus a Cæsare datum destruens, nunc alterum ab eodem populo expulsum amice excipiens[3]; et, quoties Cæsari ad tribunal assideret, « atrox ac dissentire manifestus[4] »; mox deterrimorum militum favorem fœde quærens[5]; per legiones et urbes, ad quas componendas missus erat, lasciviam, discordias, odia turbasque serens; denique provinciæ regimen quo indignus ab omnibus habebatur, civili bello ausus repetere[6]? Nonne hac violentia Principem ipsum æque ac Principis legatum Germanicum impugnabat?

Hominem circa publicas res adeo trucem et ferocem quo privata simultas impellere valuerit, quis statuet?

[1] Ann. II, 43.
[2] II, 55.
[3] 58.
[4] Ann. II, 57.
[5] 55.
[6] 80.

Adde pejoris adhuc Plancinæ infensum in Agrippinam odium, nefanda hortamina, sceleratas fraudes; cui nempe, dum Antiochiæ moraretur, percara fuerat Martina, veneficiis infamis; hæc autem, missa Romam ab amicis defuncti Germanici, quam subita, quam opportuna morte Brundisii exstinguitur[1] ! Se quidem Plancina nonne ultro arguit, triumphum de imminuta Cæsarum gente insolenter agens, dum luctum amissæ sororis primum læto cultu mutat[2]; dumque navem tumulo Cæsarum appellit, et mœstæ civitati, mœsto foro domum suam splendido ornatu ovantem et festivam epulis ostentat[3]?

Quod si Tiberius par illud detestandum pro ministris habuisset, si suis ipse inimicis ad tollendum filium suum usus fuisset (quæque pessima Tacitus prope asseverat), quanto facilius quam per novum scelus cuncta oblivione obruisset peritus ille insidiarum artifex, cognitionem totius rei sibi a senatu delatam excipiendo, nedum integram causam ad Patres remitteret[4] !

Quorum in conventu pulcherrimum ac memorabile æquitatis inter accusatores et reum edidit exemplum tum verbis, tum etiam agendi ratione : illum equidem longe suspectiorem haberem, si, paternum suum luctum jactans, amicos Agrippinæ, supremis Germanici precibus

[1] Ann. II, 74; III, 7.
[2] II, 75.
[3] Ann. III, 9.
[4] III, 10.

et proprio dolore jam efferatos, insuper in Pisonem irritavisset[1]. Idem sapientissime publicos illos de rapto juvene ejulatus, videlicet cupidine novarum rerum haud minus quam defuncti desiderio concitatos, compescuit, honoribusque in mortuum et pœnis in rei filios modum imposuit[2].

Neque percussori quem misisset anxius Tiberius, Pisonis necem adscripserim, sed ipsi Pisoni, cujus indomitum animum minæ populi, infensæ Patrum voces ac præsertim conscientia asperaverunt, fregerunt : nulla enim luctationis circa corpus, jacente humi gladio, indicia reperta sunt[3].

Cæterum, quum veneni crimen satis diluisse reus videretur, quid jam erat cur illum Princeps supprimeret? Denique, ante illam feralem noctem, Pisonem ultro decrevisse mori testatur scripta ab illo et per libertum in Senatu recitata epistola, qua Cneium, filium suum, unicum (ut videtur) immitis ac superbi illius animi amorem, Tiberio « per quinque et quadraginta annorum obsequium », jamjam se gladio puniturus, commendavit[4].

[1] Ann. III, 10–14.
[2] II, 83; III, 17, 18.
[3] III, 15.
[4] III, 16. — Dio Cassius necem Pisonis ad ipsum plane refert (LVII, 18), quanquam lætam fuisse Tiberio Germanici mortem non negaverit (LVII, 6, 19).

Quæ quum ita sint, removeatur procul a Tiberio exstincti Germanici invidia, et in meritos recidat! Nec jam primis et optimis illius Principatus temporibus extrema pessimaque noceant, quæ profecto Tiberius haudquaquam prævidebat aut parabat. Ipse autem Tacitus, postquam singula incipientis sui tyranni acta sic tractavit, cuncta summatim collaudat : sed quo loco[1]? Ubi nempe prænuntiavit fore ut civilis illa gubernandi ratio in pejus repente mutaretur. Ergo debitæ laudes, longa prius et solerti insectatione quasi destructæ, nihil nisi nova quædam forma carpendi ac detrahendi sunt; non enim laudibus, ut decuisset, rependi Cæsaris moderatio videtur, sed simulatio argui, probandumque illud prope omnino Tiberianæ administrationis tempus quasi splendidum et ideo funestius denuntiari mendacium.

[1] Ann. IV, 6.

VI.

TIBERII, VEL IN PEJUS MUTATI, BONA QUÆDAM A TACITO VEL OMISSA, VEL DETRACTA.

Jam ad posteriorem Tiberiani principatus partem deductus venio, per quam Romani, suo cum rectore, cuncta in flagitia proruperunt : quam, sæculorum exsecratione dignam, ea pictura castigavit acerrimus ille tyrannorum adulatorumque insectator, ut quicumque talia defendere susceperit vel excusare, adeo socordem propter audaciam jure irrideatur. Sed, quum satis jam per se horreant ac sordeant talia tempora, debuit profecto historicus æquitate uti quam maxima, proprioque ac nostro dolori parcens, artibus abstinere quæ portentosum in modum nimis insignem atrocitatem augerent.

At longe aliter Tacitus.

Primo enim, quæ meliora et prioribus haud indigna, vel post Tiberii mutationem, occurrunt, aut negligit aut detrahit : perplexos scilicet laborum numeros quibus, tam late patentem administrationem constanti sagacique mente complexus, Augusti successor tamdiu per tot gentes quietem ac securitatem confirmaverit, nusquam

explicant iidem illi *Annales*, qui vitia Cæsaris tam acri sedulitate rimantur. Tales quidem occupationes, prosperitati publicæ maxime salutares et exercenti maxime laboriosas, paucissimi priscis ex historicis introspicere et explanare solent : dum nempe res sectantur quæ ad permovendos animos, ad perstringendos oculos et ad recreandas mentes legentium aptissimæ sunt, partem hanc historiæ severiorem ac reconditam minus curant, omnia nobis de Republica exponentes, præter ipsam Rempublicam. Eam tamen negligentiam apud scriptores qui res Romanas, regentibus Principibus, tradiderunt, minime excuses, quia, ut prior ætas, militaribus potissimum curis addicta, inter pugnas plerumque agebatur, ita hæc ad componenda et gubernanda quæcumque armis parta erant, peculiariter insumpta est. Tacitus autem, accuratus judiciorum, suppliciorum et, reperta occasione, præliorum aut seditionum narrator, aliquot illustrium domorum casibus prope unice intentus, raro ad illam respicere dignatur multitudinem tantum Imperium incolentem; quod quidem vitium cunctis ferme historicis apud omnes gentes ætatesque, ante sæculum nostrum fuisse commune confiteor; scilicet pars illa civium quæ, majorum claritudine destituta, nihil præter pacem publicam, variorumque operum et artificiorum liberam exercitationem exoptat, apud historicos diu latuit, quia placidos homines suum silentium, ut ita dicam, obruit ac dissimulat, dum cæteros sua trepidatio, suæ etiam

clades in lucem efferunt et ostentant. Atqui ex illa præcipue multitudine quisque constat populus, eamque nulli viro, qui aut hominibus imperare aut res humanas enarrare susceperit, contemnere vel negligere fas dixerim. Minime autem ab Augusti Juliique successore negligebatur : imo operam maxime assiduam et sollicitam illi navavit Tiberius, cui sapientem hanc diligentiam Augustus ipse tum exemplis, tum supremis consiliis commendaverat.

Tacitus vero, ignobilis plebeculæ multo minus curiosus, mutas illas et umbratiles administrandi artes leviter præstringit, aut obiter et raptim indicans, aut non sine quadam malignitate spernaciter carpens : vix enim rei frumentariæ abundantiam majorem quam sub Augusto[1], labores de viis totam per Italiam sternendis[2], Principalemque munificentiam, deusto Aventino, memorat : denique instauratam a Tiberio legem qua Cæsar dictator fœnebre malum coercere, et a re nummaria avaros civium animos ad agrarium laborem convertere nisus erat, sic exponit, ut mutationis tam necessariæ, tam vere popularis, laudabiles causæ prope omnino lateant, dum accusatorum fœneratores irrumpentium, mox repentinæ illius legis incommoda et inutilitas ostentantur[4]. Inopiam rei nummariæ tunc secutam non omittit ad Tiberium re-

[1] Ann. VI, 13.
[2] III, 21. — Dio Cass. LIII, p. 511, D., 526, B.
[3] Ann. VI, 45.
[4] 16.

jicere qui, divenditis tot damnatorum bonis, signatum argentum fisco attineret[1] : nonne addendum erat damnatorum plerosque fœnore aut provinciarum expilatione suas opes conflavisse, quæ jure invisæ cunctis essent? Porro extortas illis divitias Princeps populo mox restituebat, justa mensarum suarum liberalitate sapientiam legis suæ adjuvans[2].

Partem vero administrationis ad provincias pertinentem Tacitus præcipue negligit, cui tamen Tiberius summam sollicitudinem impendit, Mæcenatis præcepta servans qui provinciales non jam, tanquam vile servorum pecus, vexari, sed, ut socios ac cives, æquo jure agitari voluerat[3] : idcirco pleraque Tiberii ad provincias aut regendas, aut tutandas, aut ulciscendas, minime videtur intellexisse : ecquis enim, quæ parum placebant, satis unquam intellexit? Vix ratus sociorum preces potuisse a Principe Romano, sincero cum studio, acriter disquiri, eum talia plures per dies tractantem, simulationis arguit[4] : falsas ejus irridet profectiones[5], quæ, ut ab imperita et iniqua plebe Callippidis cursitationibus æquari poterant[6], ita callidum historicum fallere num debuissent? Quis nempe non statim perspicit Tiberium, circa Romam tot periculis adstrictum, procul tamen, intentatis

[1] Ann. VI, 17.
[2] Dio Cass. LVIII, p. 634, E.
[3] LII, cap. 19.
[4] Ann. IV, 55.
[5] IV, 4.
[6] Suet. *Tib.* XXXVIII.

identidem illis revisionibus, procuratorum suorum industriam ubique exacuisse et vitia cohibuisse.

Offecit eadem malevolentia Tacito scrutanti cur plerumque homines eosdem ad finem vitæ in iisdem exercitibus aut jurisdictionibus Tiberius retinere solitus sit : nam, causas dum aggerit minime laudabiles, dum ad exquisitarum calumniarum mentionem, tali scriptore minime dignam, descendit[1], veram causam, quamvis manifestam et occurrentem, non videt, non accipit, forsan quia laudanda erat. Hunc enim imperia continuandi morem, apud nos instauratum a viris qui populum acerrime contra paucos potentes protexere[2], tyrannus iste servabat, ne, sæpius renovatis præsidibus quorum rapacitas non nisi satiata quiescebat, vexatorum expilatorumque tamdiu sociorum mala sine fine redintegrarentur[3] : hoc ipse, vulgata de Saucio ac Muscis fabella, non semel significaverat[4] : sed illas direpti orbis miserias historicus, quamvis animo non minus quam ingenio egregius, pro levi pendere solet.

Eas enim quoties ulciscitur Tiberius, judiciorum illorum relationem sic disponit callidissimus narrator, sic temperat, ut ipsius rei scelera non quidem neget (plerumque enim manifesta erant), at legentibus, ut ita di-

[1] Ann. I, 80.

[2] *Testament politique de Richelieu*, chap. IV, sect. 4 ; ch. V, sect. 2.

[3] Suet. *Tib.* XXXII.

[4] Josephus, XVIII, 4. — Vid. etiam Dionem Cassium, LVII, 10.

cam, oblique ac procul ostendat; sed propius et quam vividissime oculis subjicit ingruentium accusatorum numerum, ambitionem, vilem ortum, et si qua in illos jaci possunt : mox reum desolatum publica ignavia; sæpe ipsius Principis vultu obscuro vel truci, ac voce jam oppressum; hinc superaddita crimina quæ objectantium vel adulationem vel odia testentur; denique judicum sententias, quæcumque animo vel immiti erga miserum, vel servili erga Cæsarem fœdæ exstiterunt. At, quæ fuerant provinciæ vindictam exposcentis mala, quanto gaudio se defensam senserit, quid profuerit in posterum Cæsaris severitas, *Annales* parum curant.

Insignia talium narrationum exempla quum plurima excerpere in promptu sit, unum proferam, nempe Silani judicium, quem Asia tum repetundarum, tum sævitiæ, postulabat[1]. Tacitus primo unum ex accusatoribus ut veterem ludi litterarii magistrum, alium ut clarescendi nimis properum, irridet : inde Silanum miseratur, qui facundissimis Asiæ causidicis respondere cogeretur « solus, orandi nescius, proprio in metu qui exercitam « quoque eloquentiam debilitat »; ipsum denique Tiberium inducit atrociter interrogantem, additque : « Sæpe « etiam erat confitendum, ne frustra quæsivisset », perinde quasi reus iis confessionibus se gratuito perdidisset, nisi urgente conscientia. Memorat quoque narrator libel-

[1] Ann. III, 66.

los Augusti et Senatusconsultum de Voleso, ejusdem provinciæ olim proconsule, fuisse tunc recitatos, jubente Tiberio, « quo excusatius sub exemplo acciperentur quæ « in Silanum parabat. » Sed hic omisit Tacitus nonnulla quæ apud Senecam reperio [1], nempe Volesum illum adeo intestabili in subditos sævitia fuisse ut trecentos una die percusserit securi : unde conjectare licet quid sceleris commisisset Silanus, et quam facile « excusari » potuisset Princeps agens vel summo jure adversus talem legatum, qui vel antea moribus infamis vixisset; cujus tamen relegatione in insulam Cythnum, multis Patribus atrociora suadentibus, contentus est Cæsar. Quas vero cædes, quæ latrocinia per Asiam damnatus exercuisset, explanare supersedit Tacitus, videlicet omnia noscendi quæ per ultimos eos Verres domiti populi perpetienda haberent, non satis curiosus.

Scilicet, ab ingenita pridem populo « late regi » arrogantia nondum liber, Provinciales (hoc erat *pro* vel *præ* victos [2]) despectare minime dedidicit. Sententias ubique comprobat, quæ Romæ super quascumque civitates excellentiam, et absolutum jus, aut testantur aut confirmant. Innumerarum res gentium, quæ tamen Imperii pars longe maxima erant, tantummodo curat quantum ad ipsius Romæ commoda vel gloriam vel vanitatem

[1] *De Ira*, 5. [2] Festus.

spectant. Quum enim jubentur cuncti tum Græciæ, tum Asiæ populi religionum suarum leges, missis undique legatis, Senatui disceptaturo deferre, historicus tum demum[1] de variis subjectarum nationum numinibus et cærimoniis plurima enarrat, et ita narrat ut dominatoris superbia potius quam tutoris sollicitudo in illius verbis quodammodo spirare videatur. Nec invitus moratur circa memorabile illud undecim clarissimarum civitatum certamen de statuendo templo Urbi Romæ, quam nempe orbi universo, æque ac sibi, « summi numinis instar[2] » factam esse gaudet[3] : sed de ipsarum provinciarum statu, priscis institutis, variis moribus, votis, rarissime disserit : illarum intimam ac peculiarem vitam minime perspicere studet, cladesque libens memorat, quoties Romanæ liberalitati exercendæ locum dederunt.

Paucissimis igitur ac brevissimis excursibus illas dignatur regiones, nec se Roma dimoveri sinit, nisi victrices legionum aquilas consecuturus, aut res artis et naturæ paulisper invisurus : sic, Germanico similis, Ægyptum lustrat minus levandæ provinciæ quam cognoscendæ antiquitatis causa : atqui vel « Thebarum magna vestigia, » vel Nili et Pyramidum miracula contemplanti obversatur præcipue species Romanæ potentiæ, quam ultra fines Sesostriani Imperii nunc patescere, superbe, per hanc occasionem, proclamat[4].

[1] Festus, III, 60–63.
[2] *Pharsalia.*
[3] Ann. IV, 55, 56.
[4] II, 60, 61.

Equidem Romæ adeo tenacem historicum haud absimilem pristinorum illorum dixerim prætorum, qui, commissam sibi provinciam pro molestissimi exsilii loco habentes, ad Romam indesinenter respectabant, fatentes in epistolis « nihil odiosius provincia, nihil molestius[1] ! » Ideo quosdam *Annalium* libros multo minus historiæ Romani Imperii quam Urbis unius Actis annuis ac prope diurnis similes esse dicam.

Queratur nunc Tacitus, quod sibi « labor in arcto « ingloriusque obvenerit[2] »; ipse, ipse, inquam, quum libere per immensum illud Imperium evagari posset, imo deberet, tam angustos ingenio suo circumscripsit terminos : quos intra priusquam cum illo includar, constet Tiberium, vel per extremos annos, modestiam retinuisse erga cives a quibus nihil sibi extimescendum crederet : unde jam conjicias sævum eumdem in cæteros non per voluptatem aut certo pridem consilio, sed præ metu, exstitisse.

[1] « Odit frater meus provinciam; et hercule nihil odiosius, nihil molestius! » Cicero ad Atticum, VI, 2, 3.

[2] Ann. IV, 32.

VII.

HUMANUM INTRA MODUM REDIGITUR TUM TIBERII, TUM ROMANORUM, PER POSTERIORA PRINCIPATUS ILLIUS TEMPORA, PERVERSITAS.

Illa non contentus omisisse, quæ civilitatem et humanitatem nunquam omnino a Tiberio exutas esse testantur, atroces et cruentas Urbis res Tacitus ita composuit ut ipsum in Principem invidia tot scelerum redundaret, utque præterea Romani fœdissimis modo causis per cædes ac dehinc in servitium ultro devoluti viderentur.

Dum igitur illius immanitatem, horum nequitiam, per se, hercle! satis exsecrandas, veritatis intra modum reducere jam pergo, fortasse cogar de victimis illis Tiberii, tam inclytis plerisque, perque ipsas ærumnas valde commendatis, mala quædam aut turpia confiteri! Obtestor tamen ne statim respuar, tanquam illorum non absimilis qui, necessaria identidem scelera esse prædicantes, tyrannorum victimas iterum ipsi mactant, et sævitiam semper abominandam, publicæ salutis, fati, divinæque providentiæ auctoritate consecrare non verentur. Suum nempe cuique historia reddere debet; sed intestinarum pertur-

bationum ac simultatum tempora, qualia Tiberii exstiterunt, miserrimam enarranti offerunt difficultatem, scilicet dignoscendi ac subtiliter indicandi quid et quatenus quisque aut deliquerit aut læsus sit : iis enim in certaminibus, ecqua civium pars odiis, insidiis, violentisque facinoribus abstinet? Nonne undique iræ, probra, ictus commisceri solent? Natura vero ita comparatum est, ut, postrema demum recordantes, illorum peccata obliviscamur quorum calamitates ultimas ac summas intuemur. Cavendum igitur ne narrator victoribus, ipsam propter victoriam, asperior, victis, per miserationem et quasi pœna jam satis persoluta, clementior exsistat : hi nempe illos invicem, sed multo gravius, opprimerent, suis vexatoribus pro brevi morte dedecus æternum reddentes.

Quod iniquitatis genus, animis erectis ac bonis suetum, Tacitus minime vitavit.

Jam primum Tiberianæ feritatis cursum latius ab auctore *Annalium* extensum fuisse, ipsis ex *Annalibus* patet[1] : annus enim XXIII, quo refert mutati in deterius Principatus initium, non modo incruentus, sed modestia Tiberii laudandus, ut priores, agitur : quinque abhinc anni (XXIV-XXVIII), quatuorque extremi (XXXIV-XXXVII), licet longa judiciorum serie tristes, non tamen cæcam et intestabilem eam offerunt immanitatem, quam scriptor irridet aut

[1] Ann. IV, I.

indignatur; sic anni XXXV res traditurus, Urbe omissa, divertitur ad Armeniam, unde mox Romam regrediens: « Hæc, inquit, duabus æstatibus gesta, conjunxi, quo « animus a domesticis malis requiesceret[1]. » Atqui, mala illa domestica si requiras, paucorum modo reorum reperias exitia, quæ ne ipse quidem Tacitus aut iniqua, aut ad Tiberium referenda contendere ausus est. Supersunt ergo anni quinque (XXIX-XXXIII), delationibus ac cædibus longe funestissimi; sed has sordes multo minus crudelitati Principis quam ipsorum civium furoribus adscribendas mox, ut spero, apparebit.

Jam vero tot accusationum, tot damnationum narrationem minus cum historica fide et æquitate, quam cum oratoria eloquentia et per artes tragicis poetis aut forensibus causidicis concessas, Tacitus tractavit. Nam studia civilia quæ jam adumbravimus et quibus omnes tunc agebantur, prætermittere solet; sævientium pericula reorumque infensas Principatui vires attenuat; rursus autem Tiberii ministrorumque dolos, tormenta damnatorum et quæcumque miserationem aut iram commovere valent, quam vividissime exprimit : monstrat enim ante omnia Sejanum dominationi inhiantem et ad subruendam Germanici domum variis criminibus pravitati Principis adrepentem[2], simul circumretitos Agrippinæ

[1] Ann. VI, 31, 38.

[2] Ann. IV, 7, 12.

liberos[1], allectos per dona Delatores[2] et in cujusque secreta immissos, funesta latronum illorum odia, pestiferas amicitias[3] : mox clari cives inducuntur repente suorum a complexu divulsi[4], truci judicum et instantis tyranni vultu excepti, sanguinariis accusatorum declamationibus obruti, protinusque ad laqueum, inter Deum festa, Roma pavente, abrepti; quos denique in carcere, vel hausto veneno, vel cervice perfracta, summus ille mœstarum mortium pictor ostendit exspirantes[5].

At causas damnationum, miserorum illorum in novam Reipublicæ formam insidias aut facinora nunc cauto silentio obruit; nunc obiter, invidia in Tiberium jam commota, jacit; aliquando sic enumerat ut ab inimicis aucta vel ficta videantur : sic a Silio expilatas quidem provincias indicat, sed raptim, quasi negligendum fuisset tale scelus, rursusque in accusatores totum odii pondus congerit[6]; sic, Geminio, Celso Pompeioque necatis, hæc addit : « Geminius, prodigentia opum ac mollitia vitæ, « nihil ad serium[7] », videlicet Othonis ipse sui oblitus quem, moribus effeminatum, sed virili audacia promptum, libertique segniter humero innitentem vel quum ad expugnandum Imperium pergeret, mira cum sagacitate jam depinxerat[8].

[1] Ann. IV, 60.
[2] 30.
[3] IV, 68.
[4] VI, 18.
[5] Ann. IV, 70; VI, 40, etc.
[6] IV, 19.
[7] VI, 14.
[8] Hist. I, 22, 27.

Ipsis tamen ex *Annalibus* haud integram veritatis imaginem sic reddi conjicias : plurima nempe interdum reperies, quæ, vel invito scriptore, demonstrent nunquam Sejanum apud «devinctum [1]» istum Tiberium adeo viguisse ut nihil solitæ diffidentiæ contra illum « laborum socium [2]» retineret, nedum pauca Vulsiniensis verba Principem ad cædes repente impellere per se ipsa valuissent [3]. Erumpunt præterea, licet ab historico premantur, vestigia odiorum in Tiberium accensorum occultarumque insidiarum, quibus damnatorum plerique perniciem ultro suam provocaverunt. Jactæ nempe a Sejano in Germanici liberos insimulationes eæ sunt quæ, nisi veræ, proferri non poterant : finxissetne callidus ille criminator Agrippinam et Neronem palam in Foro, in media civitatis luce, Augusti effigiem complexos adstitisse, populique ac Senatus in Principem auxilium invocavisse [4] ? Num Togonii, propter ignobile genus a Tacito spreti, relatio ad Patres de Senatoria custodia circumdanda potuit edi vel excogitari, nullo urgente periculo [5] ? Cur denique tyrannus iste « trepidam sibi vitam » fatetur et ad horrendum illud « Caveant consules ! » aliquando confugit [6] ?

Eum scilicet mutavit non Sejani solertia, nec portentosum illud nequitiæ et opprobrii consilium, sed *terror*,

[1] Ann. IV, 1.
[2] 2.
[3] IV, 40.
[4] Ann. IV, 67.
[5] VI, 2.
[6] IV, 19; VI, 15.

quem sibi a factionibus illatum reddidit : minime innocui, minime debiles fuerant hostes illi quorum quidem casus miseramur.

Reputa primum quales tunc fuerint, teste vel Tacito, illius civitatis mores : reputa luxum adeo insanientem ut ne satietate quidem restingui posset[1]; Senatum ipsum fœneratoribus refertum[2]; domos plerasque adulteriis, veneficiis, infectas; connubia, spretis tot legibus, aut nulla, aut quam brevissimum ad tempus suscepta[3]; juxta lasciviam contumaciamque, socordiam et turbandi amorem; irrisam pridem antiquos in Deos pietatem, irrumpentibus undique externis cærimoniis, necdum satis divulgata religione nova illa quæ, sub finem Tiberii, apud Judæos vix orta, tot malis mederi nondum potuerat.

Reputa præsertim pestiferam juventutis institutionem, qua adolescentuli, per *Controversias* aut *Suasorias*, vitia omnia cunctasque gentis perditæ sordes a teneris meditari et tractare cogerentur[4]. Iisdem in scolis, quum oratoribus prioris ævi et historicis animum mentemque intenderent, quum veteris Reipublicæ res extolli deprimive audirent, aut ævi præteriti spiritus, ferociam, forensium certaminum amorem, intempestive hauriebant, aut nihil satis certi de patria, de suo tempore, discebant :

[1] Ann. II, 33; III, 54, 55.
[2] VI, 16.
[3] IV, 16.
[4] Vide Senecæ *Rhetoris Controversias*. — *Dial. de Oratoribus*, 35.

quibus porro rhetorum ex officinis, quot cives factiosi, quot declamatores, contrariis institutis imbuti, delationibus mutuis ac cædibus parati, necessario emissi sunt!...

Adde inveterata vivaciaque partium inter se odia, quæ, novem per annos cum multo Tiberii labore coercita, haudquaquam exstincta fuisse, cæterorum historicorum opera nimis testantur[1].

His præcipue causis turbatam fuisse Tiberii fortunam et pessumdatum animum ne diutius dubites, tempus considera quo funesta illa erupit mutatio; simul continua Principis, abhinc usque ad mortem, pericula recense.

Decimum sub annum, immutari cœpit Tiberius : quam in pejus conversionem *Annales* ad nullam causam probabilem, ac denique ad quoddam fatum, plane inane ac ridiculum (ut diximus), referunt. Sed decimo illo anno curas Principatus redintegratas fuisse et mirum in modum auctas, propius intuenti et æquo animo res ac tempora perpendenti, manifesto apparet.

Ea nempe dignitas, cujus naturam nemo ac ne ipse

[1] Vide præsertim, apud Dionem Cassium, faciem Romæ post Sejani eversionem. (LVIII, 628, E.)

quidem Imperii præses penitus perspectam habere poterat, plerisque, propter exempla Augusti, decennalis tantummodo videri debuerat[1]. Hanc igitur ex integro decertandi occasionem factiones, quarum creverant spes et studia, inhiantes et accinctæ opperiebantur : hunc Tiberii potentiæ, quam in dies infensius oderant, terminum in mente sua statuerant quicumque reddendam judicabant libertatem. Iisdem stabant in castris qui defuncti Germanici filios ad imperium adscisci volebant : illi, morte Germanici eo magis irritati quo minus juvenem a patruo fuisse interceptum demonstrare potuerant, populi favorem erga illam familiam accendebant.

Quos jam prægraves Principis metus oneravit repentina Drusi filii mors[2]; eam enim non ad veros interfectores, sed ad factionem sibi tunc maxime infensam et apertissime tam opportuno casu ovantem, haud absurde, licet falso, retulit.

Jam reputabat se, duobus ereptis munimentis, posse undique propius incessi, quum audiit laudibus extolli, per historias tunc celebratas, Brutum et Cassium, et « ultimos Romanorum » vocari, quia Julium mactave-

[1] Refert Dio Cassius celebratas fuisse, decimo et vicesimo hujus Principatus anno, quamdam veluti renovationem potestatis Tiberio mandatæ. (LVII, 24; LVIII, 24.)

[2] Ann. IV, 8, 12.

rant[1]. Inde Tiberio conjectare prorsus licuit, imo necesse fuit, haud paucos armari qui, tertii quoque tyranni (ut aiebant) cæde, Patriciæ Libertati gratificarentur, et nonnullos adhuc Romanos superesse demonstrarent. Simul ab amicis Agrippinæ, cujus impotentem audaciam maritus jam non coercebat, imo desiderio exstimulabat, populum et Patres Tiberius videbat sollicitari, adolescentulos Neronem ac Drusum senectæ suæ jam æquari[2], diductamque palam in partes civitatem adeo fervere, ut plurimi se « hostes Tiberii » vocitari vellent ac profiterentur.

Contra nitebantur Novi homines et « ex se nati » (ut aiebat Tiberius), quos modico ortos loco, sed impigros et industrios, Princeps, tanquam apud nos Ludovicus Undecimus, adversus viros longa prosapia subnixos, evexerat : horum flagrantia pridem in Optimates odia refrenare paulisper destitit; tum sponte suos in æmulos ingruerunt; nec accusationum materies deficiebat, quum illi, aut generis claritudine, aut multa pecunia, aut insignibus militiæ domive meritis ferocientes, mutationem temporum intelligere nequirent aut nollent, neglectisque legibus, socios exspoliare, contemnere magistratus, et veterem Patriciorum tyrannidem per provincias exercere non desuevissent. Sic tristissimis Nobilium cladibus prius illud periculum (in præsentia quidem) propulsatum.

[1] Ann. VI, 34. [2] Ann. IV, 17.

Sed alterum subinde est exortum, ac majus, factione Sejani, quæ mirum in modum aucta erat, dominationem invadente : tunc infidelibus amicis nuper vexatos hostes opponere conatus est Imperii illius dissidentis dominus, et a Nobilibus crudelissimam illam Sejanianorum stragem edi permittit [1].

Sic quinque circiter anni per mutuas cædes transacti sunt. At non idcirco resedere civilia odia, sed, continuis duarum præcipuarum factionum indesinenter reluctantium motibus, civitas usque ad finem Tiberii exagitata fluctuavit. Tot simultatum, tot ultionum æstibus reciprocis volutatus, interdum pene submersus, laborem asperrimum pertulit Princeps, dum se sustinere, nunc hac, nunc illac inclinans, nititur. Hoc autem insigne, quod postremo Germanici et Agrippinæ filio, Caïo Caligulæ, conciliatus est, eique successionem imperii dedit, posthabito nepote suo, quem Drusus genuerat [2]. Tam firmis scilicet munimentis insistebat Germanici domus, ut, tot cædibus exhausta, tot deformata casibus, victrix tamen, trepidam vexatoris sui senectam tueretur!...

Prima igitur tot malorum victima Augusti successor exstitit, ut quem acerrimi et irrequieti metus per quatuordecim annos torserint. Qui metus, si *Annalibus* cre-

[1] Ann. V, 6, 9; VI, 4-10. [2] Ann. VI, 46.

dideris, simulati plerumque, et obtentui ad exsatiandam crudelitatem sumebantur. Sed quam veri fuerint, testantur nimii illi favores quibus cives novos Sejanumque sibi mentuendos fecit! testantur castra, in quibus prætorianos suos procul a seditiosis Urbis cœtibus, Nomentanam ad portam, vetustum extra Servii Tullii pomœrium, seposuerat, promptum in quoscumque rebelles subsidium [1] : quæ tamen castra, apud Tacitum, Cæsar a Sejano constitui, nullo jubente periculo, sinit, gratuita profecto utens stultitia, quum id roboris Vulsiniensi Equiti ad se ipsum subruendum sponte suppeditet! Testatur denique fuga ad Capreas, haud absurde a Consule qui Principem probe noverat, exsilium vocata[2], timidique circa Urbem regressus!

Quarum rerum causas Tacitus memoravit diversas, præcipuam negligens : nunc enim artes Sejani, nunc ipsius pudorem, « occultantis faciem ulcerosam et medicaminibus interstinctam », culpat, tunc (ut quandoque) minus magno historico par quam scriptori famosum libellum acuenti [3].

Sed terror, terror, inquam, eum Roma extruserat, nihil nisi ex tuto ausurum [4]; terror per undecim miserrimæ senectutis annos continuit inter sua saxa tabescentem; ibi pallebat metu, si quis ad ambulantem, per

[1] Dio Cassius, LVII, 19.
[2] Ann. VI, 38.
[3] Ann. IV, 57.
[4] Suet. LXXIII.

abrupta ac devia, clam erepsisset[1]. Nec vero immerito faventium Germanici liberis studia formidabat, quum, missis in eos minacibus litteris, Curiam statim circumfremuerit seditio et nova Patrum consulta protinus eruperint[2].

Sed ad summum pene crevit continua illa anxietas, quum Tuscum illum equitem, necessarium sibi adversus acerrimos hostes auxiliatorem, quem fidum, propriæ saltem utilitatis respectu, speraverat, res novas moliri cognovit. Hic non satis desiderare queo, ad demonstrandam veritatem qua nititur hoc nostrum opusculum, deesse *Annalibus* partem ipsam illam, in qua profecto non facile dissimulari poterat, quam in lubrico ac præcipiti egerit Tiberius, quam precaria, quam opportuna insidiis fuerit ea omnipotentia.

Pallidus opperiebatur, altissima de insulæ suæ rupe pontum et ab Urbe arsura signa prospectans, Rex ille Caprearum, jam aptatis ad fugam navibus, si Romæ dominatorem « verbosa illa et grandis epistola », Macronis dolis adjuta, subvertere non evaluisset[3] : jusserat insuper, si arma ab Sejano tentarentur, extractum custodia Palatii in quo attinebatur, Drusum, nepotem suum, populo ducem offerri : ambiguos igitur eventus ejus certaminis

[1] Suet. LX.
[2] Ann. V, 4.
[3] Suet. *Tib.* LXV. — Dio Cass. LVIII.

procul reputans ac sibimet ipse ante oculos præponens, inaudito quodam excruciabatur supplicio. Ecce tandem nuntiatur hanc singularem sane Principis adversus ministrum suum conjurationem prospere cessisse : nam deceptum Sejanum spe potestatis tribunitiæ et ambagibus epistolæ, diu in Curia, procul a suis prætorianis detentum, mox ab iisdem Senatoribus qui paulo ante illi adulabantur, oppressum et lictori traditum ; dejectas undique procubuisse damnati statuas, et ipsum, dum « unco trahitur» a « Remi turba » non sine plausu, stipatum adspectari, calcari.

Sed trepido Caprearum captivo terrores ex terroribus, pericula ex periculis, tenore quodam fatali, renascebantur : audit jam novos dominos a Patribus istis « ad ju- « gum paratis » protinus requiri, Senatumque in servitium Macronis et Laconis nunc ruere, nisi ipsi obstarent, non quidem Principis amore aut veneratione, sed terrore demum qui cunctis tunc imperaret.

Deinceps conturbatam exsulis mentem perpulit prope ad delirium allata epistola Apicatæ, quam olim repudiaverat Sejanus, matrimonium tunc ambiens Livillæ, quam Drusi conjugem sibi jam adulterio devinxerat : ubi, perculso Sejano, trucidatos suos et illius parvulos liberos « idque ætatis corpora abjecta in Gemonias » Apicata contemplata est, materno luctu percita, et antequam sibi mortem consciret, alicujus saltem ultionis avida, per has litteras Tiberium edocebat filium ejus Drusum non in-

temperantia (id enim septem per annos omnibus creditum), periisse, sed veneno quod fraus Livillæ et adulteri Sejani comparaverat.

Tunc vero Drusi pater, comperto se tamdiu a Sejano delusum, quem nunc etiam putabat sibi fidum aliquantisper fuisse, reputans se insidiis irretitum semper vixisse, ac ne unum quidem hominem vere sui amantem habuisse, adeo exarsit et mente captus est, ut, quasi se infensis gladiis undique obsessum videret, jam nullius tormentis aut supplicio pepercerit[1].

Cæca enim ac veluti fanatica instinctus rabie, vel in maxime intimos ac continuos comites, vetere consuetudine notos et ante illam diem minime suspectos, desævit; tunc cædibus cædes cumulat; tunc sanguine rupes illas complet quas, natura quidem amœnissimas, sed memoria in æternum deformes, nunc etiam præternavigans, a nautis monstratas, ut maxime exsecrandi tyranni carnificinas, horres ac refugis.

Tiberium igitur, rebus publicis intentum ac modeste agere cupientem, ultro irritavere factiones; mox territum seque defendentem illæ in pejus mutavere : mutuis ille Romanorum inter se colluctantium odiis quasi convulsus, dum pericula sævitia, dum curas voluptatibus laborat depellere, ad imum illum nequitiæ ac turpitudi-

[1] Suet. LXII.

nis gradum dejectus devenit : huc vero non voluntario delectu, non certo pridem consilio, sed primum (ut plerumque fieri solet), invitus, pene coactus et interdum reluctans, manifestus est paulatim descendisse.

Nec ideo scriptori hujus ævi, inter doctissimos Alamanniæ criticos florenti, assenserim [1], qui scelestissimum Principem singulari quadam et hactenus inaudita caritate complexus, cives necatos a dilectissimo illo Cæsare ultro objurgat, quod rectoris natura benigni ac clementis vitam trepidam effecerint animumque mansuetum efferaverint. Imo maneant Tiberio apud posteros scelerum suorum culpa et invidia : sed cavendum rursus ne scelera ipsa, dissimulatis (velut apud Tacitum) causis, aliquid portentosi ac necessarii contrahant, quo natura ingenue perversa edita fuisse, idcircoque (si Deo placet !) non damnanda esse videantur.

Jam constet Romanos in Principis sui sceleribus partem, eamque maximam, habuisse. Tiberius, Romanorum demum impellentibus tum vitiis, tum simultatibus, cruentam illam viam ingressus est, cujus in prono nemo temere unquam se retinere aut morari prolabentem valuit, nedum vetus ille miles, a sanguine minime abhorrens, inter

[1] Adolphe Stahr, Bilder aus dem Alterthume. *Berlin*, 1863. — Dissentit Edouard Pasch ; *Altenburg*, 1866, Zur Kritik des Geschicte der Kaisers Tiberius.

cædes natus, inter civiles procellas, et inter omnia irritamenta supremæ dominationis educatus, securitati suæ humanitatem præponeret.

Atqui huc devolutum multo etiam antecessit Senatus ille, qui cunctis civitatis pessimæ vitiis ac furoribus maxime flagrabat : quoties ab isto delatorum et adulatorum conventu postulavit Tiberius ne verba simpliciter in conviviis aut inter familiares jactata in crimen detorquerentur [1] ! quot reos illis subduxit, per dilationum legem [2] quam ipse de differenda in decimum diem cujusque damnati morte sanxerat [3] ! Nonne confessus est ipse Tacitus unicum tunc suffugium fuisse opperiri Principem ? Non semel in *Annalibus*, Patres audiuntur dolentes justitiam suam (ut id vocabant !) a Principe attineri [4] ; hi permulta facinora, nil jubente illo, imo omnia nesciente, raptim perpetraverunt : sic exanimatus in carcere ob vaniloquentiam, Lutorius [5]. Hic autem animadvertendum accurate existimo duos tandummodo exstitisse Lutorii defensores, nempe Rubellium Blandum, Principis mox progenerum [6], Lepidumque, Tiberio acceptissimum, apud quem æquabili auctoritate diu floruerit [7].

Sic damnati, ob amicitiam Sejani, plerique ex illis

[1] Ann. VI, 5.
[2] VI, 9; IV, 66.
[3] Suet. LXXV. — Dio Cass. LVII, 20; Ann. VI, 9; IV, 66.
[4] Ann. III, 65, 70.
[5] III, 49.
[6] VI, 27, 45.
[7] IV, 20.

qui, dejecto illo, per biennium, cæde prope continua et aliquando catervatim mactati, occubuere [1]. In *Annalibus* tamen, ut cuncta sunt composita, illa crudelitas, imperante Caprearum exsule, debacchari videtur : redundat in unum hominem seditiosorum civium perversitas; adeo ut Secundatus ipse noster infandam Optimatum ultionem de Sejani filiola Principi imputaverit [2]. Sed atrox ipsa lex, per quam adolescentulæ sanctitas violata est, non a Tiberio fuerat inventa ; manebat vero tanquam dirum monumentum prioris illius ævi quod aliquando reposcere videtur Tacitus; exemplum scilicet antiquum sacrilegæ illius feritatis a Dione Cassio memoratum reperio [3].

Quod si talium scelerum dux, auctor, inventor fuisset senex ille inter maris solitudines tremens, num viguissent longa stabilique apud illum amicitia tot viri graves, adulationibus ac sævitiis infensi? num vivere passus esset tot cives, qui genere ac fama diffidentiam tyranni prorsus merebantur ?

Non igitur Tiberii voluntaria perversitas, sed ipsorum Romanorum furores Romanis tot miserias ac denique servitutem imposuere. Eos ipsos incusa qui, quum Princeps libertatem modeste exercendam obtulisset, mutua sua odia sanguine exsatiare maluerunt.

Incusa sane, sed simul miserere, potius quam, exemplo

[1] Ann. VI, 1-28.

[2] V, 9. — Montesquieu, *Esprit des Lois*, liv. XII, ch. XIV, et *Note* de Voltaire.

[3] Dio Cassius, XLVII, 6.

Taciti, eos tanquam vilissimam demum proditorum ac sicariorum colluviem contemnas! *Annales* enim miserrimis illis temporibus speciem vel fœdiorem quam miseriorem indidere : ibi nempe videntur Romani privatis tantum libidinibus acti, per scelera et dedecora prorupisse; videntur propter privatam solum invidiam, ambitionem, avaritiam, per tot annos, innuente tyranno, fratrum innocuorum sanguine manus suas polluisse : ergo scelerum causæ sceleribus ipsis turpiores exstitissent? Non ita : ne, obtestor, eam humanæ naturæ calumniam inferamus, ut arbitremur magnam quamlibet gentem potuisse unquam abjectum nescio quid perfidorum carnificum pecus fieri.

Multos quidem cives publicæ tempestatis tumultu ad explendas propriæ libidines turpiter abusos negare non ausim; id enim maxime luctuosum et in posterum etiam exitiabile talia tempora ferre solent! Multos prorsus ex istis delatoribus, quorum rapacitatem ac dolos quivis, ut Tacitus, prompte sit exsecratus, malæ spes elicuerant.

Nonne vero plures sinceris erga veterem aut novum rerum statum studiis agebantur? Nonne plurimorum eloquentiam, quam Tacitus ipse minime spernendam confessus est, aliqua officii privati vel publici opinio, falsa fortasse, certe non indecora, accendebat[1]? Ita

[1] De variis civium circa Principatum studiis vide Dionem Cassium, LIII, p. 496 (de Augusto).

prorsus sese res habuere. Delatores illi, qui, nomine Quadruplatorum olim dicti, veterem Rempublicam turbare jampridem consueverant, certantium factionum oratores erant : aliterne potuit evenire ut leves et ignobiles plecterentur, dum maxime formidati, multis et justissimis quidem odiis circumventi, *suis* tamen *mortuis* (ut atroci cujusdam eorum voce utar[1]), superessent[2]? Illi priscos Reipublicæ mores exercebant; illi priscas Fori peragebant in Curia contentiones[3], non adeo quondam ab auctore *Dialogi* improbatas aut despectas. Civilia autem certamina summus apud nos tum historicus, tum poeta, jure dixit non libidinum modo, sed præsertim *officiorum certamina* esse[4] : quæ quum tam amplum scelerum proventum afferre soleant, scelerum illorum causas minus erubescendas non celari, humanæ dignitatis multum, et æquitatis historicæ plurimum intererat.

Quæ cuncta reputans, demum intelliges infelicem illum discordantis inexpiabili violentia populi Præsidem, pavefactum, irritatum, ad ea tandem descendisse facinora quæ, per prima jam periculosæ potentiæ tempora præsentiens, horruerat. Non enim vana, non perfida jactabantur incipientis Tiberii verba, dum revocaret Pa-

[1] Pline le jeune, *Ep.* I, 5. Mot de Metius Carus, accusateur de Sénécion, à Régulus.

[2] Ann. IV, 36.

[3] Impiaque in medio peraguntur bella Senatu (Juvénal).

[4] Lamartine, *Hist des Girondins.*

tribus se aliquando in deterius mutari posse, dumque optaret se intercipi potius quam corrumpi, Deos supplicans ut sibi constantem in periculis animum, quietam mentem et humani divinique juris memorem servarent, ita ut apud posteros a majoribus haud degener haberetur[1]. Rerum scilicet ac temporum callidus, noverat civitatis, moribus et concordia carentis eoque ad servitium, ut ipse nec semel questus est, paratæ[2], rectorem prope ineluctabili impetu ad tyrannidem rapi : noverat præterea homini cuilibet, cuncta in illo fastigio ad explendas suas libidines undique prompta reperienti, servitutem, etiam subjectorum servitute turpiorem, impendere : quibus ergo tum periculis, tum illecebris se resistere posse minime confidens, priorisque laudis anxius, sua ipse scelera, suum dedecus jam expavescebat : paventem utique demersit Principatus illa quasi fatalis vertigo.

Quanquam per fœditates saltem, quarum imagine Tacitus sexti libri exordium maculavit, Tiberium devolutum esse non crediderim : obstat fidei fessa senis ætas, metus assidui, retentaque semper vel in voluptatibus diffidentia : videtur potius fama, tertio Cæsari, imperitante Trajano, maxime adversa, Caprearum solitudinem, obscænitatis cujuslibet capacem, vulgatis olim apud Primores civium flagitiis complevisse. Nonne Tiberii vita,

[1] Suet. *Tib.* LXVII. — Ann. IV, 38.

[2] Ann, III, 65.

vel exempto illo tyrannidis ac pravitatis consilio, satis jam sceleribus ac opprobriis referta est, ut novas illuc sordes coacervare historia, suæ saltem dignitatis respectu, vereatur[1] ?

Cæterum, utcumque se ea res habuit, patet ipsis ex *Annalibus* Tiberium, per illos infamis senectutis annos, minime tranquillitate animi usum, quam retinuisset profecto, si tantummodo naturæ funditus perversæ obtemperasset seque ipse consulto inquinasset : at miser, quemadmodum se pessumdari præmetuerat, ita se pessumdatum exhorruit nec ferre potuit.

Testis est insignis illa exsulis Capreani ad Senatum epistola, quam Tacitus Suetoniusque ambo memoravere[2] : illa, dum Tiberius ipse dilaceratum tormentis suum pectus recludit, dumque pœnas, quas dudum intima in conscientia solvebat, in lucem, tanquam divino quodam instinctu coactus, profert, portentosam illam ac voluntariam immanitatem, quam *Annales* depinxere, mendacii coarguit.

Nullo prorsus philosophorum libello, luculentius est unquam comprobatum inesse, vel pessimo cuique, mentem boni malique intelligentem quæ usque permaneat, inesse vocem quamdam ultricem quam nemo oppresserit, nemo omnino corruperit. Ea profecto voce excitatus Ti-

[1] Voltaire, *Note sur le 14e chapitre du XIIe Livre de l'Esprit des Lois.*

[2] Ann. VI, 6. — Suet. *Tib.* LXVII.

berius gravissimum sui tædium, et pœnitentiæ quosdam motus, steriles quidem, sed eo magis vindices, prodidit: simul se ad infimum nequitiæ gradum non naturali et necessaria quadam propensione, vel de industria, descendisse; sed infelicitate temporum, et loci principis peste, et propria infirmitate eo deductum esse, omnibus, ut quidem reor, demonstravit.

CONCLUSIO

CONCLUSIO.

Igitur Romanos et infelicem Augusti hæredem egit per cædes opprobriaque, non insana quædam proditionum ac servitii libido, nec perfide compositum tenaciterque servatum perversitatis et infamiæ consilium; sed illos, morum petulantia studiorumque civilium rabies, miserior etiam quam turpior; hunc vero, continuus terror et omnipotentiæ omnibus periculis subjectæ irritamentum et conscientia.

Quod quum per testimonia quæ vel cæteris e scriptoribus, vel ac præsertim ex ipso Tacito excerpta proposui, explanatum esse confidam, nunc totam illam thesim verbis quam paucissimis includam; utque Tacitus suam de Tiberii indole opinionem his postremo verbis totam expressit[1] : « In scelera simul ac dedecora prorupit, « postquam, remoto pudore ac metu, suo tantum inge- « nio utebatur », nos ea contendere sententia audebimus : « In scelera simul ac dedecora devolutus est, « postquam, continuo nec absurdo metu pessumdatus, « multo minus suo quam Principatus ingenio utebatur. »

Qua cuncta resolvendi ratione, tum naturæ humanæ

[1] Ann. VI, 51.

legibus, tum historiæ æquitati, verius, ut quidem reor, accommodata, ecquis non sentit Tiberium multum infra deprimi, nedum extollatur? Sic enim ostenditur miser ille princeps qualis fuit, nempe scelestus ut multi esse solent ac plerisque modo solertior; a sanguine, tanquam quivis talium temporum Romanus, natura non abhorrens; diuturnas ob ærumnas tristis et suspicax; congestis et diu dissimulatis toleratisque opprobriis exacerbatus; ob pericula diffidens; ob insidias assiduas sævus; mox priores ob sævitias sævior; latebras intra suas indesinenter trepidans, nunc ira et contemptu hominum, nunc sterili pœnitentia et sui tædio discruciatus; prima denique terroris, quo tale tempus funestatum est, victima.

Quem in invidioso suo fastigio magis in dies exanimatum et usque viliorem factum intuens, odisse quidem et adspernari, sed paulisper quoque miserari, cogeris, in quantum miserandus esse potest qui pessima quæque, ut perpetravit, sic meruit.

Evanescat igitur horrenda illa veluti majestas, quam Tacitus Tiberio indiderat, et qua admirationi non minus quam odio exemplar illud tyrannidis commendabatur. Equidem nempe confitebor, quoties, in ipso *Annalium* limine, appareret portentosus ille Princeps, ingenitæ nequitiæ progressus ultro ac gradatim propellens, ut tandem in sanguine ac cœno tabesceret, nec minus ad ultimam horam vigorem animi consiliique retinens, intrabat

me paventem, pro spernaci hac miseratione quam solvendam illi arbitror, nescio quæ verecundia. Præterea, quum illum mentis solertia constantiaque præsignem contemplarer, mirabar potuisse tam vivax intelligentiæ robur cum tot vitiis, cum tot angoribus, tamdiu convenire. Pœnitebat quod in vita tam fæda, tam detestanda, aliquid grande exstitisse videretur, quod contemptum repelleret, indignationemque nostram ineluctabili quodam silentio obrueret.

Nunc vero intra justos naturæ fines redactus Tiberius ostenditur : quem scilicet miserandum magis quam horrendum, sæpe imbecillum animo, semper trepidantem non unum ac simplex perduxit vitæ consilium, nec adeo exquisiti abstrusique doli armavere. Imo (ut eloquentissimus apud nos arbitratus est sacerdos, res animi et historiæ quam exactissime perscrutari ac dispicere solitus[1], et cujus sententiam huic nostro opusculo gallice

[1] Fénélon, *Lettre à l'Académie,* chap. VIII. « Tacite montre beaucoup de génie avec « une profonde connaissance des « cœurs les plus corrompus; « mais il raffine trop, il attribue « aux plus subtils ressorts de la « politique ce qui ne vient souvent que d'un mécompte, d'une « humeur bizarre, d'un caprice... « C'est la faiblesse, c'est le dépit, c'est le conseil d'un affranchi qui décide, pendant « que Tacite creuse pour découvrir les plus grands raffinements dans les conseils de « l'Empereur. — Presque tous « les hommes sont superficiels « pour le mal comme pour le « bien....

« Tibère, l'un des plus méchants hommes que le monde « ait vus, était plus entraîné par « ses craintes que déterminé par « un plan suivi. »

subscribendam esse judicavimus), anxium et semper mobilem istum tyrannum impellebant plerumque ac distrahebant aut metus quos abunde recensuimus, aut conscientiæ tormenta quæ Tacitus memoravit quidem, sed non satis interrogavit; aut illa superstitio impiis quidem semper solita, apud eum vero Thrasylli discipulum longe prævalens; aut aliquando, ut cæteros homines, repentinus animi impetus; aut quælibet ex improvisis illis ac levibus causis quæ, per vitam omnium crebræ, apud hos *Annales* nullæ, in historiis eventus multos ac sæpe graves ediderunt, ac tamen historiarum auctores, vel summos, fallere solent.

Improbandus ergo Tacitus quod, circa mores actaque Tiberii, poetica exaggeratione et artibus componendi prope tragicis, potius quam simplicitate et fide rerum sit usus : damnandus etiam, quod populi Romani servilia studia facinoraque coloribus supra veritatem fœdis depinxerit.

Sed illis tanti viri peccatis pulcherrima afferenda est excusatio. Numquam enim obliviscendum quale suis *Annalibus* ipse munus indixisset; insitam genti Romanæ assentationum libidinem cohibere, intentata infensissimæ dominationis imagine, statuerat; vix renascentem liber-

tatem et servili Romanorum ingenio periclitantem, contra dolos Dominorum paulatim insurgentium, contra populi ipsius in Cæsarum successoribus fiduciam, denique contra credulam illam securitatem quæ toties gentibus nocuit, præmunire gestiebat. Libertatis demum cura sollicitusque patriæ amor splendidum illud ingenium has intra tenebras inclusere.

Tacitum non animi causa, sed ad docendam posteritatem, domesticas Urbis sordes tam mœsta luce illustravisse, testantur legenti cuique indignatio illa, ille dolor qui, per omnia optimi providique civis opera, nusquam erumpentes, ubique tamen vivunt ac veluti scriptis submurmurant :

Mens agitat molem! . . .

Sit igitur, propter piam ac pulcherrimam illam tristitiam, excusatus *Annalium* auctor : at nos doleamus quod, proprio et æqualium in Cæsares odio malignius indulgens, Tiberio funestisque illius temporibus speciem induerit vera etiam deteriorem, susceptumque a se tam civiliter opus sibi adeo grave ac molestum, posterisque, licet admirantibus, adeo tetrum ac funebre reddiderit!

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona,
a. d. IV. non. Mart. anno M DCCC LXX
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
PATIN.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
A. MOURIER.

Nanceii, ex typis Sordoillet et fils.

Lt 1.763
De Taciti, ad enarrandum Tiberii C
Widener Library 005257052
3 2044 085 235 398